ANNUS SANCTUS
SIVE:
EXEMPLA BREVIA
E
GESTIS ET VITIS
ADOLESCENTUM
EXCERPTA.

In ſingulos Anni dies digeſta, Studioſæ Juventuti propoſita.



Typis Collegij Sandomirienſis Societatis JESU Anno Dni: 1740.



Ad Lectorem.

TUo bono, Studiose Adolescens, confectus est libellus præsens, Annus Sanctus dicitur; tum exemplo ab aliis Authoribus petito, tum quod observata tot virtutum exempla, convenientem Studioso sanctitatem, certò sint allatura. Exempla è solis Adolescentum vitis decerpta sunt, ut eò facilius ad premenda eorum vestigia animeris. In dies singulos digesta sunt, ut habeas in dies, quod legas & imiteris. Levia hinc indè occurrent; sed cave idcirco contemnas. Levi etiam in re, semetipsum vincere, Deo gratissimum est. Inspice, & fac secundum exemplar; Potuerunt isti & isti: cur non & tu? Interferuntur hinc inde historiæ aliquot tragicæ, ut salubrem in te terrorem excitent. Fidem habeant illam, quam apud Authores citatos. Omnia juxta Decretum Urbani VIII. 5. Ian, 1631. Vale. Ad salutem tuam utere.



Anni



Anni Sancti Mensis primus
sive
Documenta pro Juventute studiosâ è variis Historiis excerpta.

Januarius.

1. SAnctus Casimirus Poloniæ Princeps tantum ab omni immunditiâ abhorruit, ut aut moriendum sibi esse audiens, aut eligendas nuptias, Castus & omni labe, purus mori maluerit, quàm læsâ quomodolibet Castitate vivere; illud sæpiùs repetens: Malò mori, quàm fœdari; *Ex vitâ*, Prima sub anni initium cura tibi sit, generosum Puritatis amorem, voluptatis verò illicitæ horrorem concipere. Hoc sæpe exclama, hoc ingemina: Malo mori, quàm fœdari.

2. Iustus Lipsius Vir celeberrimus sic de se scribit: A primâ adolescentiâ Divæ Virginis amorem & cultum indui, eámque Patronam mihi & ducem in periculis, & omni vitæ cursu elegi; etiam in studiis, ubi famæ vel memoriæ res erat, precibus & votis ad eam ivi, felici semper successu. *Sodal.*

Parth. Imitare; Altera tibi cura sit filialis erga B. Virginem amor & fiducia: hanc in Patronam Studiorum elige; ad eam in quâvis necessitate confuge.

3. Godefridus Adolescens Castissimus, postea Herbipoli & Bambergæ Episcopus, pernoctare in alienâ domo, ad quam cum Moderatore venerat, coactus; cum precibus & promissis ad impurum facinus solicitaretur, post virilem planè luctam, relictis in impiæ manu vestibus, purissimus Ioseph vi sibi viam faciens aufugit: noctem reliquam in gratiarum actione & precibus consumens. *Drexelius.* En tertiam studiosi curam: Castitatem ista respiciat. Pupilla oculi Mariani Castitas est, hanc noli lædere: Ne lædas, fuge visitationes, & domos suspectas: fuge socios, sermones, conventicula.

4. Michael Aijatumus Adolescens Indus sæpe sic suos Condiscipulos allocutus esse legitur: O Socii mei, quantam Deo rationem dabimus, si studiis & pietati in tam bonâ occasione non vacemus! *Sodal. Part.* Studiose, hujus & tu recordare. Terribilis tibi reddenda est ratio, si in studiis & pietate tepeas. Occasiones tot præclarissimæ, tot superiorũ monita, tot exhortationes augebunt damnationem tuam, si secùs, atque oportet, iis utaris. Ergo novum fervorem concipe. Statue toto animo incumbere in ea, quæ Deus ratione

tione officii tui à te postulat.

5. Adolescens quidam certo alicui flagitio assuetus hoc à S. Bernardo accepit remediũ. Primo ut per tres dies à familiari scelere abstineret in honorem SS. Trinitatis: abstinuit. Secundò, ut per totidem dies, in honorem B. Virginis ab eo caveret: cavit denuò: Et agnoscens posse extirpari consuetudinem; Non jam ultra, ajebat, cum Deo inducias tantum, sed æternam pacem inibo Nunquam peccatum illud repetam; Stetitque suo hoc proposito. *Ex vita.* Ecce emendari potest consuetudo, licet radices egerit altissimas. Adhibe remedium hoc. Amore B. Virginis, amore hujus aut illius Sancti Patroni statue abstinere à peccato certo, saltem die uno, die altero, alium tibi Patronum propo ne. Miserum te, & damnationi proximum, si sancti unius amore ne uno quidem die abstinere à peccato valeas.

6. B. Saniflaus S. I. quoad vixit, semper manè ut primum surgebat, ad B. Virginis effigiem conversus, benedictionem ab eâ flagitabat, decenter vestitus preces matutinas accuratissimè persolvit. *Ex vita.* Prima tua cogitatio manè ad Deum dirigatur: preces matutinæ negligantur nunquam: Beatam Virginem indies invoca. Hæc si negligis, frustra benedictionem de cœlo expectas.

Adolescens Sodalis Religinem ingressurus Pa-

triam domum inviserat, suis ut vale supremum diceret: lautum instruitur à parentibus epulum. Editur, potatur liberaliùs: Sermones non usque adeo honesti miscentur. Soluto epulo adolescens noster vino & epulis nonnihil gravior, ac Sodalem decebat, lectum petit: Illico, quod gulæ & excessuum in potu præmium est, turpes in animo cogitationes oriri, crescere, inquietare miserum. Restitit primò: Sed tandem victus cogitationi illicitæ consensit. O infelix momentum! Adest confestim vindex Dei Justitia, & eâ adhuc hora apoplexiâ vehementi tactum deturbat ad tartara. Totam rem, ut gesta erat, ipse infelicissimus suo apparens Confessario flebili voce aperuit. Ottonelli. *Non exhorrescis hæc legens? magis exhorresces hoc si audeas: Erat Adolescens hic usque ad horam illam innocentissimus, nullâ unquam graviore noxâ Deum offenderat. Erat ergo peccatum hoc primum, & solâ tantùm cogitatione admissum. In primo hoc peccato moritur, justoquè Dei judicio damnatur, pro modica voluptate æternum torquendus. Studiose, ferreus es si non moveris. Peccatum unicum æterna damnatio: Voluptas momentanea, cruciatus æterni: O peccatum quid es? Hoc hoc studiose, hoc fuge, hoc detestare.*

7. Anonymus Adolescens, postea in Religione Richardus dictus, cubitum jam iverat; cum ecce recordatur vespertinas preces, & consuetum B. Virginis pensum necdum à se persolu-

persolutum esse; vincit tædium, lecto se proripit, preces peragit. Fructus erat evitata damnatio. Vix enim lecto se rursus commiserat, è damnato suo ante, socio intellgit certam ei damnationem fuisse, nisi has persolvisset preces; quibus mota B. Virgo induci-as ad agendam pœnitentiam impetrâsset. *Pexenfelder.* Ecce è vespertinis precibus salus æterna pendebat. Amas salutem tuam? ama preces vespertinas, cum examine & dolore serio. Forte dum primò negliges, morieris infelix & peribis. Somnus prohibet, inquies? æternos ignes cogita; hi somnum ad breve tempus excutient.

8. B. Aloysius S. I. levissima peccata tanto doloris sensu in confessione exposuit ut animo deficiens humi procumberet. *Ex vita.* Tantum à te quidem non petitur; id tamen agendum est, ut solicitam semper Confessioni præparationem præmittas. Doloris seriò eliciendi curam habe maximam. Res non adeò facilis est, ut plerique male somniant.

9. B. Aloysius per triduum se ad S. Communionem præparabat; hinc & fructum consecutus longè maximum. Ioannes Berchmannus in Brabantia natus rarissimæ virtutis Adolescens post Christi Eucharistici susceptionem tres horas integras, aut duas certé impendit. *Ex vita.* Erubesce, si ex eorum numero es, qui vix quadrantem tanto impen-

dunt negotio, dum horas plurimas otio, somno, lusui, garrulitati, Dæmoni consecrant. Tu mediam saltem horam præparationi, mediam dabis gratiarum actioni. Meretur id IESUS tuus redemptor pariter & judex.

10. S. Vincentius Ferrerius totus à puero in mores sanctos incubuit. Non poterat id ferre Dæmon, primitias ætatis sibi exposcens, Ergo venerandi cujusdam senis habitum mentitus Vincentio oranti se sistit, inquiens: Ego unus è priscis illis Patribus sum, qui Ægypti solitudinem diu magnâ vitæ austeritate incolui: juventutem ad mundi leges inter delitias & voluptates exegi: hinc senectutis vera & constans pœnitentia est secura. Tu igitur mihi seni tutó crede & præmaturam, quam orsus es, corporis castigationem senio reserva. Paratam habemus Dei clementiam vel ad unicam contriti cordis voculam. Vincentius fraudes Stygias subodoratus facessere jubet dæmonem majore deinceps fervore Pietatem & mortificationem amplectens. *Ex vita.* Imitare. Obstrue aures tuas ad voces illas: genio jam litandum est: Sera ætas in Religione Deo dabitur & Pietati. A Dæmone sunt voces istæ. Ætas prima Deo debetur, non dæmoni; quia optimum optimo, primum debetur primo. Errâsti hactenus? hoc saltem age: ex hâc horâ totum te Deo consecra; annos quos adhuc habes

flori

floridos cultui divino defer. Primitias Deo.
11. B. Stanislaus S. I. quæ in singulis notavit laude digna, statuit æmulari: Idem Berchmannus fecit, cujus hoc erat propositum: Quod mihi in aliis placet, imitabor, quod displicet, fugiam. *Ex vita.* Tuum est, Sodalis Studiose, ea, quæ indies leges ab aliis benefacta, sedulò quoad fieri potest, imitari. O quem tibi in cœlo Thesaurum hâc ratione colliges, labore tuo certè non magno.
12. S. Basilius Magnus adhuc adolescens quæsitus, quænam studiosis maximè convenirent, reposuit: Colere Deum, servare munditiem, fugere Societates suspectas, studere verecundiæ, fugere fœminas. Singula ipse suo etiam exemplo comprobavit. *Ex vita.* Habes brevem epitomen vitæ sanctæ à studioso agendæ. Singula cosidera. Vide in quo hactenus industriam tuam deesse sis passus. Statue posthac toto animo in ea incumbere. Sic Deo, sic conscientiæ facies satis.
Adolescens Cantipratani condiscipulus, modestiâ primum & pudore insignis, pessimo postea socii exemplo in horrenda scelera se dedit præcipitem. Frustra amicorum monita, frustra mina erant. Exegerat de more diem quendam cum sociis lusus inter & epulas. Nocte concubiâ horrendum ex improvisio vociferari & ejulare incipit. Accurrunt domestici; clamoris causam petunt; præsens vitæ periculum advertunt, monent ut
 nent ut

nent ut conſcientiam expiet, ad æternitatem ſe accingat. Nihil proficiunt. Surdus ad monita juvenis demum in has voces erumpit: Væ illi, qui hoc (peccatum laſciviæ nominat) me docuit! væ illi! ah! quid nunc auxilium divinum invocabo? jam patula video tartara præſentes dæmones totis ad me rapiendum faucibus hiantes: Actum eſt, Hos inter gemitus obiit æternum infelix: Pexenſ. *Didicit miſerrimus juvenis, quis ſit pravi conſortii fructus, quis ſcelerum finis. Fortè & tu aliquando ſic exclamabis: væ! væ illi! ſed quid tum proderit? Morietur quidem & peribit Seductor tuus, ſed tu ſi & ipſe pereas, ſolatium ex aliena miſeria non capies. Jam cognoſce, quàm maledicta ſit amicitia illa, quæ Deo inimica eſt & virtuti, fuge ſocios, fuge ſcelera, ne cum Juvene hoc, reſerata videas aliquando Tartara, ſed cum B. Stephano cœlos apertos.*

13. S. Fulgentius conſiderans in juventute hinc Dei hinc Mundi promiſſa ſic ſecum: Cur ſine ſpe futurorum bonorum laboramus in hoc ſæculo? quid aliquando præſtare mundus poterit. *Specul. Juvent.* Quid præſtare mundus poterit tibi, ſi Deo relicto ei adhæreas? quid expectas? Adhæres mundo per delicias illicitas. Deum relinquis, ſi orationes, ſi Sacramenta, ſi lectiones ſacras, ſi ſtudia relinquis. Quid ages poſthac? Si plus auxilii expectare à mundo potes, adhære ei,

famu-

famulare, obedi quoad voles.

14. Annuæ Quitenses referunt de Iuvene Lascivo. Hic ut Sceleri vacaret liberius, urbe desertâ in prædio vicino multos annos impiissimè exegit. Somniabat nocte quadam se repentina morte è vitâ abreptum, territus primùm est, sed mox velut inane somnium hanc Dei monitionem excussit. Magis terruit nox altera, quâ ad infelicis Æternitatis tormenta dejectus sibi videbatur, sed etiamnum restitit impius vocanti Deo. Rus petierat animi levandi causâ. Adest hæc suggesta divinitus cogitatio: Certè potest me jacto è cœlis fulmine hoc momento & loco plectere divina Nemesis, & à scelerum consorte avulsum, ad rogos infernales dejicere. Hæc cogitantem orta repente tempestas terrifica, & vibratum horrendo fragore fulmen in proximam agri partem decidens, adeo conterruit, ut demum meliora statuerit. Adorans igitur mirabilem Dei tam diu se contemni patientis tolerantiam, redit in urbem Confessione generali peccata priora expiat, vitam vivere incipit, qualem à sancto pænitente poteras expectare. *Ex Ann: S: J.* Pœnitentem attende & imitare. An minor est Dei erga te Patientia? quamdiu jam tolerat scelera tua? quod inspirationes immittit? quot minas? cede tandem & da hoc divinæ misericordiæ, ut de tuâ possit pertina-

cia triumphare. Vitam age aliam: Deo gratias age, quod puniens alios tibi pepercerit? Multi damnati sunt, qui minus peccarunt, ac tu, ajebat B. Virgo conversæ cuidam.

15. S. Ioannes Calybita, Abbatem, à quo suscipi rogabat, sic allocutus est: Parentes me destinant honoribus & conjugio: ego vero eum salvum puto, qui his valedicere potest, & Deo in vestro habitu deservire. *Ex vita.* Non omnes capiunt verbum hoc. Tu hoc saltem disce, salutem solam spectandam esse in omnibus, non commoditatem corporis, non libertatem, non ipsam etiam parentum voluntatem, si Deo & vocationi contraria est.

16. Anonymus sodalis Cæsar Augustæ alapâ per injuriam acceptâ nonnihil commotus ubi se collegit, ajebat: Inter Sodales Marianos numeror, unde & hanc injuriam & alia ferenda judicio. *Ann: S. I.* Ecce quid possit memoria Mariani Sodalitii. Erit forte ocasio ferendi injuriam levem; erit occasio faciendi peccatum aliquod per otium, desidiam &c. Cogita. Sodalis Marianus sum: feram hoc amore Virginis: fugiam hoc amore Virginis. Studiose mi, hæc solida & genuina erga Mariam devotio est; huic stude; nihil Mariæ gratius, nihil tibi poterit esse salubrius.

17. Dositheus tribuni Militum Filius in

deli-

deliciis & rerum sacrarum ignorantia educatus loca Sacra Palestinæ invisebat; videns depictos ad parietem in horto Gethsemani inferos, hæret attonitus. Rei ignarus à B. Virgine apparente, terribiles inferorum pœnas edocetur. Majore perculsus horrore; Domina, ajebat, quid obsecro mihi faciendum est, hos ut cruciatus evadam? præscripsit B. Virgo remedia, & evanuit. *Ex vitis PP.* Sit hæc & quæstio tua. sit cogitatio; Sive dum picturam ejusce modi intueris, sive dum inferni occurrit memoria, sit solicitudo una, evadere infernum. Sed media, quæ suggeruntur amplectere. Periisset Dositheus, si præscriptis à B. Virgine mediis usus non fuisset. Certus est tibi interitus, tu si iis non utaris. Quæ vero illa? declinâ à malo, ait Spiritus sanctus, & fac bonum.

18. S. Bernardinus Senensis nunquam turpe verbulum vel locutus est ipse, vel audiit, quod non severissimë castigaverit. Hinc Socii ejus si paulò liberiùs locuti fuerant, adveniente Bernardino Sermonem mox abrumpebant dicentes; Tacete, Bernardinus adest. *Ex vita.* Si scires, quanta strages animabus innumeris, verbo etiam unico impuro inferri possit, corpore toto & animo contremiscceres. Actum est de Castitate, ubi verba talia vel amantur, & proferuntur, vel dicuntur liberius: Atque utinam rei hujus veritatem

tem tristis nimium experientia non doceret. Fuge, aut apertè aliorum libertatem increpa. Nemo te præsente proferre audeat, quod conscientiam lædere possit.

Monasterii erat adolescens, qui à familiari nimium juventuti scelere ad ipsam heresin delapsus fuerat. Sensit monentem interius Deum: Scelus à se factum agnovit, emendationem promisit: ut vero hanc ocyus inchoaret, moveri non potuit. Monetur à quondam Professore Sacerdote; jubetur festinare, ne tardantem iustus iudex pro merito castigaret. Sed unum ille cras, cras repetebat. Ergo qui pœnitenti veniam quidem, sed diem crastinum non promisit DEUS, procrastinantem sui maximè securum puniturus, dispos uit; ut impius fallente vestigio è superiore horrei parte in subjectam aream delapsus, mox infelici morte ad æternitatem abriperetur. Ex ann: S. I. *O cras! fatale cras! quis inter inferos damnatus non funestum hoc cras damntionis suæ causam ingeminat? de die in diem, de mense in mensem differre emendationem, O quale periculum? non irrrdetur DEUS. Propera! festina! convertere! hodie noli obdurare cor tuum. Nunc incipe. Nunc dies salutis. Cras incertum est. Voces Dei sunt; Ne differas de die in diem, subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.*

19 Complutensis quidam Sodalis die quodam graviter vulneratus dum Chirurgus vocatur

catur, oblitus propè doloris sui petit libellum, è quo officium B. Virginis recitare solebat, sanctè affirmans, nunquam id à se omissum fuisse hactenus, qua propter nolle se è vita hâc migrare in aliam, die illo, quo Beatam Virginem consueto hoc officio veneratus non fuisset. *Ann:* S. *J.* Verum in Mariam amoris specimen constantia est Quæ nescio peragere velle, dum fervet pietas, & paulo post piè propositorum oblivisci, res est, quæ beatæ Virgini mirum displicet. Tu ei si placere cupis, devotiones tuas fac sint constantes. Dies abeat nulla, qua eam non invoces non honores.

20. Eystettensis quidam Sodalis nunqum domo pedem efferebat, quin Deo, Deiparæ, sanctis Patronis se commendaret, hoc rogans, ut immaculatus custodiretur in via & reduceretur. *Ex Ann.* S. *J.* Breves sed sancta orationis materia. Eget adolescens Dei gratiâ, si illæsus redire domum desideret. Heu quoties evenit, ut in latrones innocentiæ suæ incautus & nescius juvenis incidat! dum domo exeundem est, exemplo Iudithæ Angelum tuum invoca, ut custodiat te in via, & non permittat te clientem suum coinquinari.

21. S. Gregorius Nazianzenus studiis vacans Castitatem sedulò per mortificationes, orationes & Iejunia custodivit. Præmium

hoc

hoc tulit. Duæ ei in somno Virgines apparebant, quarum nomina erant sapientia & Castitas. Prior se moraturam promisit cum Gregorio, si sociam in honore vellet, & utramque in eodem cordis habitaculo collocare, Intellexit Adolescens sanctus, quid hoc sibi vellet, & constanter in Castitatis conservationem incumbens mirabili doctrinâ à Deo ornatus est. *Ex vita.* Quæris sapientiam, studiose? *Non* habitat in corde peccatis subdito, non in lascivo animo. Hinc si proficere vis in studiis, Castitatis curam habe maximam.

22. Oeniponti Iuvenis Sceleratæ Domui jam vicinus erat, suo de more genio indulturus. Objicitur ei prope domum imago Christi é Cruce pendentis. Aspectus primus tanto eum mox terrore perculit, ut pedem à pessima viâ, animum à scelere concepto abstraheret, ad Confessarium rectâ properaret, totâque vitâ seriò expiatâ totum se divino amori consecraret. Nunquam postea domum impiam ut repeteret, induci per socios potuit. *Ex Ann. S. J.* O quantum vel solus Christi crucifiixi aspectus valet ad peccati horrorem incutiendum. IESUS Dei Filius tanta in Cruce patitur pro pecatis hominum; huic à Deo non parcitur. Peccatori quid fiet? quanta eum manent supplicia? Sed & amorē Christi erga homines disce, & statue

an post hac peccare in eum possis. DEUS meus pendet in patibulo, ajebat Bernardus, & ego voluptati operam dabo? Non poteris certè peccati desiderio tangi, in IESUM tuum si defigas oculos. Hinc habe in cubiculo tuo Crucifixi effigiem; hanc intuere sæpius: ab hoc tibi dici cogita, quod Sacerdoti cuidam impio dixit: Quid feci tibi? cur me sic tractas? in quo offendi te? Hæc audiens, si potes, pecca. Memor tamen, eundē fore judicem, quem jam contemnis.

23. Ioannes Berchmannus nunquam prandio vel cœnâ accessit, quin aliquas in cibis sumendis mortificationes, sive victorias Deo obtulisset; aut abstinendo ab uno alterove bolo magis arridente, aut ratione aliâ gustum mortificando. *Ex vita*. Imitare, facilis & frequens est occasio, Intelligeres utinam, quantum tibi in cœlo Thesaurum cōparare hoc modo posses! Victoriæ hæ tuo judicio leves, ô quale moribundo tibi afferent solatium! Nihil leve, qod summa æstimat Majestas.

24 S. Ioannes Chrysostomus nobilibus natus parentibus, nobilium pompam fastidire statim à teneris cœpit, nec famulos, nec vestes superfluas, aut similia addmittens delicata, aut splendida. Reprehensus propterea reposuit: Num primus egosum, qui vitæ humilitatem colo? Deum didici delectari humili-

milibus, & his dare gratiam: huic placere; huic obsequi volo. *Ex vita.* Quâm multa sunt, in quibus vanitas sæpe dominatur! Sed hoc planius non dico: Illud exemplo Sancti hujus disce, ne movearis aliorum loquelis aut illusionibus, ut omittas, quæ Deo placent, aut agas quæ Deo displicent.

Hispali accidit quod refero. Sodalis erat qui calamum quendam scriptorium ex Sodalitio surripuerat, Juvenili furto. Is ipse minus casto amore personam aliquam prosequebatur. Ad hanc literas exaraturus, eundem, quem è cœtu Mariano rapuerat, calamum adhibet. Cœpta vix erat scriptio, & vehementissimam sibi alapam infligi advertit, voce hâc aditâ: Etiamne Sceleste rem dicatam temerare audes? Mansit ad dies aliquod nota inflicta plaga, ut vi altiore impactam esse constaret. Man. Sodal. *Studiose an non miraris tantam B. Virginis severitatem? quid calamo levius? hunc ereptum ad usus alios deputari egerrimè tulit sacra Virgo. Cur ita? B. Virgini consecratus erat. Res cœlesti digna ultione est rem Deo & B. Virgini sacram quem nescio in usum impendere. Exhorresce studiose: An non & tu membra tua, lingvam tuam, pedes, manuns, te totum Virgini sæpius immolasti? promittens. nihil te dicturum facturum ve contra honorem ejus? & quid tu? quoties ausu sacrilego temerare ausus es linguam tuam,*

pro-

proferendo verba vah quàm fœda! quoties inquinâsti pedes eundo ad domos suspectas & periculosas? idem dic de membris aliis. Et vindictam non times? odit odit, mihi crede, & abominatur B. Virgo furtum & rapinam in holocausto. Rem sibi dicatam impiè adeò profanari non feret.

25 S. Clemens Ancyranus postea Episcopus, monitus in juventute à Matre, hanc unam sibi pro tot laboribus exhiberet gratiam, ut fortis perstaret in fide si quæ surgeret persecutio, id enimvero se solerter præstiturum reposuit. Quod & in ætate virili complevit luculenter. Ad propositos enim honores & pœnas intimo corde ingemuit, quod Deum videret rebus adeo vilibus comparari; jussus fuerat aut fidem deserere proposito honorum præmio, aut tormenta eligere acerbissima. Elegit ista & tulit viriliter. *Specul. Juvent.* O si par esset cura tua in implendis tot monitis quæ tibi jam subministrantur, tum à parentibus, tum aliis. Roga Sanctum hunc hodie, ut gratiam tibi impetret hoc agendi, præcipuè ne Deum tuum proposito quovis vel præmio vel metu offendere audeas.

26. Rhedonensis Sodalis infimista cum infirmiore uturetur valetudine, monebatur ut in templo Sedens preces suas parageret, ne sanitati noceret: Is vero: Malo mori, ajebat,

jebat. quàm debitum Deo meo honorem, reverentiam que non exhibere, quem tamen in templo præſentem credo: *Ex Ann. S. J.* Exemplum pueri imitari ne erubeſcas. Fac eam in templo exhibeas Deo tuo reverentiam, quæ ſignum ſit, credi à te adeſſe non ſolum eum, qui redemptor tuus fuerit, ſed & judex futurus ſit ſeveriſſimus. Abominatio eſt præſente & inſpectante judice ſuo ad riſus jocos, & nugas converti.

27. Berchmannus ob levem quempiam defectum à ſuperiore monitus, tantùm abfuit, ut ægrè ferret ut tria pro eo ſtatim offerret recitanda Roſaria; Habes ſimilia in plurimis. *Ex vita.* Imitare ſaltem in eo, ne excandeſcas, aut mala neſcio quævis imprecari audeas, qui ex officio ſuo te monent, aut caſtigant. Benè tecum & cum anima tua ſentiunt, Erit dies, quo patebit, utri te plus dilexerint, an Magiſtri tui & Profeſſores, an progenies tartarea, Socii tui pravi, quam neſcio amicitiam ſimulantes.

28. S. Mammas Martyr graviter ad deſerendam fidem tentatus, ajebat: Ego à Deo meo nunquam recedam, & quem cunque potero ad eum adducam. *Ex vita.* Nunquàm à Deo recedam: Vox Chriſtiano digna! quemcunque potero ad Deum adducam. Vox Apoſtolica! firmus in Dei agni-

agnitionem, ad templum, ad sceleris fugam inducere satage; Quotidiana est occasio.

29. Neapolitanus quidam Sodalis in leprosum incidit. Nauseam vel aspectus creabat. Hanc ut generosè vinceret varia ei exhibet obsequia, demum & partes leprâ maximè deformatas osculatur. *Lechner.* Ita ille nauseam vincit: Ridet ista delicatus orbis noster. Non videt Deus. Non vident sancti; quorum hic erat labor vincere se in iis præcipuè, quæ maximè videbantur ardua. Xaverium nosti? Saniem ex ulcere suxit, ut se vinceret. Tantum à te petere non ausim, sed, an non vincere te possis v. g. mane surgendo generosè & debito tempore; declinando socium dilectum quidem, sed impium; non accedendo domum periculosam &c.

30. Bertrandus Cornelius more suo cum sociis vacabat genio, gulæ, libidini: Medio in æstu foras se proripit: cogitationem de Æternitate concipit: huic inhæret diutiùs. Adsunt interea Socii, revocant ad gaudia; At ille: Imminet, imminet Æternitas! parate vos! mutate vitam! ego alius ero. Et fuit profecto; Religionem enim ingressus Sanctè vixit: *Ex Ann. S. J.* Oblatas tibi à Deo inspirationes excipe, & iis morem gere, neque sociorum invitationibus eas postpone, Æternitatem cogita,

Immi-

Imminet illa tibi. Muta vitam! alius esto. Sed in quo?

31. Henricus ab Hayden Trevirensis, Romæ per annos septem versatus multa dedit raræ pietatis & sui in Mariam amoris exempla. Abitum ad suos parans morbo fatali corripitur. Expiatâ conscientiâ peculium suum ad S. Andeæ, S. Apollinaris, & B. Virginis honorem testamento legat. Somno dein obruitur, quo solutus advocato ad se Sacerdoti dixit: O Pater quæ ego vidi? Salus mea fuit in angusto: at benignitas Mariæ Virginis, sanctorumque Andreæ & Apollinaris in tempore succurit. Narravit deinde, quod coram judice divino accusatus jam jam damnationem sibi imminere crediderit, sed adfuisse ajebat B. Virginem dicentem ad Dæmones: quo vos istum rapitis, qui tot annos mihi in mea congregatione servivit? liberatum se sic fuisse potestate Dæmonum, & hinc securo jam & læto animo moriturum. Quæ dicens placide exspiravit. *Lochner.* Remuneratur B. Virgo obsequia sibi præstita. Succurrit in periculo illo, ubi non est qui adjuvet. Cliens Mariæ nullus infeliciter moritur: nullus æternum perit. Esto cliens tantæ Matris, sed verus & constans.

Adolescens in Lusitania pessimos in tenera jam ætate mores induerat, factus ipse dein

alio-

aliorum ſeductor infelix Obviam factus. die quodam Sodali ad cœtum Marianum abeunti, ſuadet huic, ſecum ut miſsâ Sodalitate agros pererret. Reluctabatur is primùm; penſum die altero ferendum cauſatus. Tandem timore abjecto ſequitur impium; foras progreſſus, poſt colloquia Sordida Eheu! ad tactus diabolicos & nefanda flagitia deducitur, longè alius domum reverſus, ac exierat. Poſtridie ſummo mane domum ſeductoris accedit, ut hoc duce ad Scholas pergeret, pœnamque neglecti penſi ſubterfugeret. Quærit è domeſticis, ubi eſſet Studioſus: reponitur, hærere etiamnum in lecto. Expectat horâ totâ. Reverſus interea impii pater, ægrè filii pigritiam ferens, cubiculum ejus adit, ſomnum ei exceſſurus. Reſerat januam; ſed ſubitò à teterrimo monſtro rejicitur. Mater ſumpto animo idem conclave petit: lectum ſcrutatur. Horendum dictu! Nonniſi horrifica velut ardente manu impreſſa, ibi ſigna reperit: denique & filium videt, ſed ſitu, cœlites! O quam funeſto! caput exanimis juvenis depreſſum erat ſupra ſedem ſordibus humanis fœtidam, quibus impurum ejus os & lingua putrida immerſa erant: manum alteram ad locum nefandi flagitii tenebat: corpus totum multiplici atro ſtigmate notatum apparuit. Pexenfélder. *Macte animo impie laſcive, peccator huc propera, hoc intuere ſpectaculum; & ſi potes audacter pecca,*

Pergo,

Perge, perge, linguam in sermones impios solve, perge, manus nefandas, quo voles, extende. Non luditur DEUS, statuit horam, quâ te puniat. Habebis hunc inter inferos socium, si jam habeas in scelere, Si sapis expavesce peccatum omne, sed illud præcipue, quod castitati adversatur. Vide etiam, quale præmium seductor ferat, & time? vivit adhuc vindex in cælo DEUS.

Ad M. D. G.

Anni Sancti Mensis secundus Februarius.

1. S. Aloysius ab ipso Sanctissimo Domino nostro Papa Benedicto XIII. in Patronum studiosæ Juventutis & exemplar propositus, levissimam etiam peccati aut periculosi consortii umbram vehementissimè abhorruit. Hinc cum in lusu quodam umbram puellæ osculari à coætaneis juberetur; ad petitionem si non impiam, certè minus castam exhorruit, & pudore suffusus confestim occasioni & consortio se subduxit; neque ut lusum ejuscemodi repeteret,

teret, induci postea unquam potuit. *Ex vita.* Quasi à facie colubri fuge non peccatum modò, sed & umbram peccati; fuge peccandi pericula: lusus periculosos abominare: consortia eorum fuge, qui ad illicita aut liberiora aliqua te invitant.

2. Iustus Lipsius adhuc adolescens ne vel semel à congregatione B. V. abfuit: ad eam sæpe omissô, aut abruptô prandiô properavit, hanc B. Virgini mortificationem offerens. Moriens sanctè asseruit, magno se propterea solatio perfundi. *Ex vita.* Imitare, & dum hodie tuum erga Sanctam Virginem amorem renovas, statue congregationibus ejus, quoad fieri poterit, semper interesse. Erit & hoc tibi majus in morte solatium, quàm si horas illas vel otio vel somno vel alteri corporis recreationi à te impensas fuisse recorderis.

3. Ioannes Berchmannus sub initium mensis cujuslibet ex Præside Sodalitatis quærebat; quænam obsequia devotionis Deo, B. Virgini, & Sanctis Patronis eo mense exhibere posset, aut quem errorem corrigere. *Ex vita.* Imitare: quære idem ex confessario tuo, aut certè ex conscientia tua; quid præcipuè eo, quem inchoas, mense corrigendum sit; qvæ devotio suscipienda. Labitur alioquin mensis, labitur Annus, nec pro cœlo aliquid aut pro æternitate agitur.

4. Theo-

4. Theodorus Adolescens Ægyptius dum festo quodam die splendidissimum parari videt in paterna domo convivium; hanc animo suo cogitationem cœlitus illapsam advertit: Quid proderit tibi, Theodore, si bonîs hîs omnibûs fruaris, cœlestibûs autem excludaris? Præsentibûs hîs & futurîs frui nemo potest. Hæc cogitans in domûs angulum se recipit, mundi vanitatem & pericula considerat, gratiam à Deo, ne æternîs bonîs excideret, enixè flagitat. A matre ad prandium vocatus, venire renuit, æternorum consideratione totus absorptus. Ne igitur æternùm foret infelix ad S. Pachomium abiit; vitamque eo dirigente vixit sanctissimam. *Ex vitis PP.* Plurima sunt, quæ observes. 1. Quàm levi è re beatitudo Theodori pendebat! inspirationem illam si neglexisset, si velut tempori non idoneam animô exclusisset, nescio, an alio tempore vocatus à Deo fuisset, Ergo ejus exemplô inspirationi divinæ obtempera: Audi quid loquatur Deus per confessarios, concionatores, libellos sacros. 2. Maluit Theodorus præsentibûs carere deliciîs, quàm æternîs. Et hic & ibi felix esse non potes: Præstat hic mortificare corpus, præstat voluntatem abnegare, quàm æternùm torqueri: præstat modicas sibi jam subtrahere delicias, quam fruendo illicitîs æternas & ve-

ras

ras repudiare. Demum pia consideratio Theodoro præ cibo & deliciis fuit; ab hac nec per matrem avocari se passus est. Similis sit tuus in devotione & studiis fervor; neque aliorum te vel exemplô vel consiliô abstrahi permittas.

5. In Paraquaria Sodalis ad impium aliquod facinus solicitatus ajebat: Sodalis Marianus sum, & sæpe sanctissimum Christi corpus suscepi; non ausim hoc facere. *Ann. S. J.* Dum peccati sese offert occasio; dum ad illud incitaris; Memento te Sodalem esse illius Virginis, quæ peccatum quodlibet summopere aversatur. Memento toties divinô te epulô fuisse refectum. Pudor est & scelus intolerabile, lingvam v. g. toties Christi cruore sacratam spurcîs aut indecorîs sermonibûs inquinare. Nefas est manus Christo Eucharistico oblatas quò nescio protendere. Dignum Styge flagitium est dare toties, toties datam Christo fidem fallere.

6. Michael Ayatumus Indus à sociis ad comedendas die vetito carnes invitatus, se id facturum negavit. Dicentibûs verò illîs: Nemo advertit: abest præceptor; parens non videt: pœna nulla timenda est: Sacro quodam furore excandescens, reposuit: Itane verò hominum præsentia solùm absterrere nos debet, non Dei? *Ann. S. J.* Et tu præsentis ubique Dei recordare. Homo

non videt? at Deus videt. Hominũ pœnas effugies? Dei non evades vindictam. Hoc præsente audere, quod præsente non auderes homine, quanta quæso protervia!

In Trajectensi Diœcesi studiosi quidam lusu se recreaturi rus peierant: lex ea dictante Dæmone per impium lata fuerat, ut qui postremus in lusu victor existeret, cæteris, quæ vellet, imperaret. Imperavit ille, suis ut sub vesperum omnes vestigiis factisque insisterent. Adest tempus: Impius infamem scelere domum ingreditur, sequuntur cæteri. in atrio ad fores consistunt. Perpetratô immani flagitiô redux monet cæteros, se jubente ut idem singuli agerent; qui recusaret, ei tanquam immorigero legis antea latæ prævaricatori pœnam denuntiat. Nec mora: obsequuntur impio duci omnes, unô exceptô. Is cæteris adhuc innocentior ad nefanda jussa expalluit; discessum paravit, nunquam à se antea violatam, nunquam violandam posthac asserens castitatem. At socii vi abstractum egressu prohibent. Ergo quasi mutatâ mente, bene est, ajebat, sequar vestigia, si aliud non licet. Inde destinatum sceleri locum solus petit; oblatâq; amplâ pecuniâ sceleris omissionem & silentium per suadet ei cui adolescentis seductio commissa fuerat. Redux cum cæteris huc illuc per urbem vagatus, tandem ingruente jam nocte domum repetit. Solus nonnihil processerat, cum ecce per noctis caliginem personam aliquam vultu ra-

diantem conspicit; quæ paulatim appropinquans alapam juveni tanto impetu inflixit, ut humi corrueret semianimis. Voces has addidit personatus Angelus: Vel hoc verbere doctus disce impia vitare consortia. Alapæ indicia multos dies tenuerant, ne altiore robore inflictam esse dubitari posset. Sod. Parth. *Impius fuit juvenis, quia impiis se junxit. Divinæ gratiæ debuit, quòd in peccatum non ceciderit: ipsa tamen temeritas, quâ huic se commisit periculo, cœlestem meruit ultionem. Execrantur Angeli sancti familiaritatem cum impiis; hoc non facturi si leve quid esset aut contemnendum. studiose, fuge consortia impia. Inter hæc vivere & non peccare majus est, ac medias inter flammas non aduri.*

7. Tertius è septem illis heroibus Machabæis nolens Dei legem violare, jussus lingvam & manus ad tormenta porrigere, teste Scripturâ, linguam citò protulit; & manus constanter extendit, & cum fiducia dixit: E cœlo ista possideo, sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero. *Ex lib. Machab.* Etiam tu credis recepturum te esse membra tua in Resurrectione mortuorum. Sed quomodo? si pro Dei gloria ea impendis, recipies gloriosa; si secus, recipies turpia, deformia, æternùm misera. Singularis aut pœna, aut merces manet membra

tua. Quid promittis linguæ tuæ? quid pedibus? quid lascivæ manui? statue consecrare membra tua cultui divino.

8. S. Aloysius S. I. Iam lecto se dederat, cum recordatur orationis cujusdam consuetæ eo die omissæ. Illico è lecto surgit, orationem peragit. Placuisse hanc Deo victoriam testatur prodigium incendii mirabiliter à S. Adolescente aversi. Somno enim, dum orabat, obrutus erat, candela interim vicina quæque accenderat; Aloysius medias inter flammas illæsus fuit repertus. *Ex vita.* Imitare. Preces consuetas, præcipue vespertinas nunquam omitte: somnum potius excute. Non potest non hæc orandi consuetudo Deo esse gratissima.

9. Iuvenis Anonymus turpissimîs diu vivebat immersus sceleribûs. Statuit tandem consuetudinem impiam rumpere, vim sibi inferre, Deo servire. Initium à Confessione generali fecit. Non multò post obviam ei facta est scelerum socia cumque eam nec voce nec oculo dignaretur; mirabunda illa, se non agnosci à juvene credens, aiebat: Ego sum illa. Tum hic propositi sui memor: At ego non sum ille: dixit; abijt, alius à se, constans perstitit. *S. Gregorius.* Sit & tuum tale in Confessione propositum. Alius post eam appareas, & mutatus abeo, qui fueras. Quid proderunt Confes-

Confeſſiones tuæ in die judicii, ſi nulla e-
as exceperit emendatio?

10. Peruſii Sodalis tempore Bacchanali-
um, ut vocant, ſuô ſe, quoad potuit cu-
biculô incluſit; totum prope tempus preci-
bus conſecrans aut mortificationi: neque
ulla ratione ad potantium aut ludentium
cœtus inde protrahi potuit. Imitatus in hoc
fuerat S. Aloyſium, qui infelices ejuſcemo-
di dies mirâ in ſe auſteritate, ſingulari in
Deum fervore & ſcelerum deteſtatione e-
xegit. *Sod. Parth.* Gratiſſima certè Deo pie-
tas eſt eo tempore, quo ab hominum ma-
litia tam protervè offenditur. Tu illud ſo-
litò ferventiùs exige quà ſtudijs quà pie-
tati vacando. Cave communi & inexcuſa-
bili hominum errore abreptus quæ neſcio
admittere audeas. Nemini ſpatium peccan-
di aut facultatem divina Majeſtas conceſſit.

11. Berchmannus in morbo ſæpe inge-
minabat illud: Ave Maris ſtella! Monſtra
te eſſe Matrem. Cauſam rogatus, ait: Ie-
ſum & Mariam amavi in vita, amabo &
in morte. *Ex vita.* Imitare M[illegible] Mariam cogi-
[illegible], Mariam invoca verbîs illîs, quibûs &
S. Ignatius ante quodlibet negotium ejus o-
pem invocabat, dicens: Monſtra te eſſe Ma-
trem. Felicem exſpecta mortem, ſi Mariam
verè amaveris in vita. Sed quid eſt verè
amare? verus amor non verbîs ſolîs abſol-

vitur; factîs probatur, Factô oſtende, an Mariam ames. Peccatum fuge, præcipue illud, quod Puritati adverſatur; & tum verè amas.

12. In Braſilia Sodalis iter faciens, ab hoſtibus ſuis interceptus, graviter vulneratus, ſemianimis relictus eſt. Abeuntibûs illîs Patronum ſuum menſtruum inclamat Sodalis, & flumini vaſto ſe committit, eô ſuperatô Patriam repetiturus. Audiit Sanctus vota clientis, apparuit, manum porrexit, vulnera ſanavit, per flumen traduxit incolumem. *Sod. Parth.* Sancti tui Patroni menſtrui opem inclama, ſive corporis ſive animæ ſalus agatur. Novit ille ſuccurrere pio clienti.

Cracoviæ Sodalis quidam impiorum conſortiô ſeductus diſciplinam ſcholaſticam ferre ultra non potuit, ut pote libertatis deſiderio contrariam. Ergo primùm abeſſe à ſcholis frequentiùs; dein illis prorſus valedicere. Nullô jam frænô ultra cohibitus, per ſcelus omne præceps ruebat, libertatis, ut credebat, aureæ fructibûs fruiturus. Sed brevis nimium erat! Paululum guſtaverat mellis Adoleſcens infelix; & ecce decimô octavô ætatis annô medias inter delicias, exortô quô neſcio tumultu, miſerrimè trucidatur, nullô prorſus pœnitentiæ ſignô relictô. Simile quid Bituricenſi ſodali accidit: Deliciîs liberiùs fruiturus, relictâ ſcholâ, miſſô ſodalitiô, impiorum adhæret & obedit

voci;

vocibus; tempus omne potando ludendoq; perdens. Vix extimîs gustata labrîs gaudia morbus acerbus excipit; qui audiendi facultatem misero abstulit, dein & vitam. Ann. S. J. *Sic castigat terribilis in judiciis suis Deus intempestivum libertatis desiderium. Time, time Studiose, qui regulas scholasticas, jugum & disciplinam pertaesus libertatem suspiras; abes à scholis crebriùs; studia negligis: tempus omne lusu, potatione, otiô consumis. Non intra hos limites consistes. Brevi ulteriùs se effundet libertatis ardor; nec quiescet antè, quàm divinîs humanîsq; omnibûs conculcatîs te ad tartara dejiciat. Principiis obsta.*

13. Mexicanus quidam Sodalis à pietate prima deficere cœpit, & cupiditati fræna laxare: Ambulabat vice quadam in urbe cum sociis suis & grave aliquod scelus animô volvebat: tum ecce adstat vir grandævus, vultu gravi & subirato eum alloquitur: Túne, qui B. Virginis sodalitio nomen dedisti, hæc animô ausis volvere facinora? horret ille, animô deficit, humi corruit: levatur à sociis, ad nostros adducitur: expiat conscientiam; pristinam pietatem amplectitur. *Ann. S. J.* Errantis & errorem corrigentis exemplum habes. O quoties idem tibi Custos Angelus exprobrare potest? hæc tu Sodalis cogitare? hæc loqui? hæc agere? scilicet omne scelus te

dedecet. Imitare Adolescentem pœnitentem: Ne aliquando in die iudicii hoc tibi dicatur, quod teste S. Cypriano Chistiano cuivis improbo dicet Christus: Non novi te: Christianus (Sodalis non es) ubi enim opera tua?

14. S. Eucherius postea Aurelianensis Episcopus lectioni spirituali in dies aliquod temporis spatium consecrabat. Ex hac salutem hausit. Cum enim die quodam incidisset in illud: Præterit figura mundi hujus. Mirum se in animo excitari ad deserenda omnia mundana advertit; quæ & reipsa deseruit, non sine multiplici de styge & carne victoriâ. *Spec: Juv.* Imitare: Modicum quid temporis lectioni ejusmodi saluberrimæ consecra. Hac fortasse uti statuit Deus velut facili ad vocationem obtinendam instrumentô. Ea verò, quæ legis, à Deo tibi inspirari certissimum habeas: illis obtempera:

15. S. Petrus Damiani gravissimis nocte quadam tentationibûs vexatus surgit, hyemali tempore aquis se immergit, eò usque frigus acerbissimum sustinet, dum tentationum æstus remitteret. *Ex vita.* Hæc juvenis fecit. Sic Sancti certant pro castitate. An tibi grave accidat pro Angelicæ virtutis conservatione unam alteramve mortificationem suscipere, aut orationi aliquantulum vacare, dum premit tentatio? Pugnandum est. Delicatus miles facile suc-

cum-

cumbit. Res seriò agenda est.

16. S. Aloysius manè surgens solicitè cavit, ne vel minimam corporis partem aspiceret nudatam; verecundia enim ejus, quæ Angelica erat, id non ferebat. Totum verò tempus, quô vestibûs se induit, orationi dabat. *Ex vita.* Imitare: memento modestiæ dum surgis. Vestibûs dum te induis, memento præsentis Dei, præsentis Angeli custodis. Assuesce precibus certis eô tempore persolvendis. Sic diem sanctè inchoabis.

17. S. Hilarius puer Martyr fame diuturnâ confici maluit, quam fidem negare; illud identidem Tyranno generosè oggerebat: fac, quidquid volueris: Christianus sum. Non cedo. *Spec. Juv.* Pueri hæc vox est inter tormenta & cruciatus. Erubesce, si facilè adeò vinci te pateris; si à propositis deficere vel leviter solùm tentatus non dubitas. Non deserendus est Deus, licet incommodi aliquid subeundum sit. Nondum fame, nondum dolore conficieris. Leve tædium est, levis incommoditatis horror; & fugis è templo; nauseas studia, scholas negligis; orationes omittis; hoc est, Deum deseris. Aliud incipe vivendi genus. Dic occurrenti cuivis molestiæ: Non cedo: premas me licet & affligas, non cedo: Dei amore superabo.

18. Maceratæ Sodalis fuſte ab altero per injuriam graviter percuſſus, hoc ſolùm ini-quo aggreſſori dixit: Injuriam facis, ado-leſcens: quid me petis: omnem tibi injuri-am Dei amore condono, Inde templum ingreſſus Crucifixo advolvitur, ejusque e-xemplo vindictam procul fugere decernit. Rogatus poſtea, ut inconſiderato aggreſſo-ri veniam daret, repoſuit: Nihil opus eſt: Neque enim inimicitiam unquam ſuſcepi aut odium. *Sod. Parth.* Frequens certè oc-caſio ſeſe tibi offeret leve quid pro Dei glo-ria patiendi: ne eam elabi patiaris abſque fructu. Cave unô alterôve verbulô incauti-ùs ab aliis fortè prolatô, in cognomina ca-lumnias, execrationes erumpas. Vince te!

Rufus adoleſcens annorum octodecim parente utroque orbatus apud avunculum ſuum Cyril-lum Epiſcopum Hieroſolymitanum enutritus fue-rat. Nihil in eo præter immodicam ludendi cupi-ditatem carpebatur Mortuus, S. Cyrillo apparet, ſpecie prorſus terribili; æterniſque ſe ſe damna-tum eſſe ignibus vociferatur, ea ſolùm de cauſa quod luſui nimis addictus, plurimum ei tem-pus dederit, quod negotiis aliis ſtatui conveni-entioribus dari debuerat Flores. exempl. *Quid tu ad hoc Studioſe? fidem neſcio an a-pud te inveniat tragica hæc Hiſtoria, qui ni-hil planè ſceleris ineſſe putas turpiſſimæ luden-di prurigini. Illud negare non potes, plurimo-*

rum

rum semper ſcelerum fontem extitiſſe hanc ludendi conſuetudinem immodicam. Hæc certè pecuniam furtivè subtrahere, tempus ſtudiis & pietati ſuffurari, deteſtandis sociis adhærere, vacare gulæ, cauponas habere præ templis, in rixas & convitia, & maledicta & blaſphemias abire, quin cum ipſo etiam dæmone paciſci docuit, docetq; hodiedum. Tu cave aſſueſcas, niſi ad graviora ruere imprudens velis.

19. S. Andreas Corſinus, ſanctè ſub initium educatus, paulo poſt ſociorum blanditiîs ſeductus nauſeare cæpit ſtudia, faſtidire libros, amare luſus, fugere ſcholas; rem verbo; vivere ex mundi genio. Verum à matre ſeriîs verbîs reprehenſus B. Virginis imagini advolvitur, gratiam rogat ſe emendandi, & ex eo momento in alium plenè mutatus vitam cæpit ſanctiorem. Dixerat ei mater: Non mihi, ſed Mariæ natus es. *Ex vita.* Studioſe, non tibi, ſed Mariæ natus es, & toties oblatus. Quid verò proſunt tot increpationes & monita parentum & Superiorum tuorum? Imitare S. Andream, & coram B. Virgine ſtatue vitam aliam inchoare, emendando defectus, quos tibi præ aliis familiares habes. Pete à magna Matre gratiam, quâ totus convertaris; non enim tibi, ſed Mariæ, ſed cœlo natus es.

20. Antverpienſis Sodalis ſæpe ex Præ-

ſide

ſide quærit, quodnam Deo gratiſſimum præſtare poſſet obſequium: vilia enim & communia, ajebat, non ſufficiunt, quia extraordinarias à Deo gratias mihi collatas eſſe memini. *Ann. S. J.* Sodalis mi; an non & tu ſpeciales à Deo gratias nactus es? Vide talenta tua: vide inſpirationes, cogita vitam elapſam: & nega ſi potes. Sed qualia tu Deo exhibes obſequia? quam exhibes gratitudinem? quid hodie Dei in te tam benigni amore ages? quô abſtinebis peccatô? Certè enormis eſt ingratitudo tua, ſi ne communia quidem exhibere velis obſequia, cum planè extraordinaria tenearis Deo tuo exhibere. Hodie ſaltem fugies peccatum aliquod amore Dei tui.

21. Michael Ayatumus ſolicitus ſemper S. Aloyſii imitator; ultimô adhuc vitæ die Sacerdoti ad aram facienti operam navare voluit, uti eam in dies navaverat eô fine, ut theſaurum in cœlis augeret. *Ann. S. J.* Imitare: Angelicum hoc officium ſæpè ſed modeſtiâ Angelicâ exerce. Stude & tuam augere in cœlo gloriam; per opera bona, per ſtudia ad Deum directa. Pudor eſt filios ſæculi hac in re prudentiores eſſe filiîs lucis. In dies ſuis in actionibus lucrum ſpectat mercator, nunquam ejus augendi occaſionem negligit. Tu quid pro lucro cœleſti? quid pro cœlo!

22. S.

22. S. Rupertus Abbas Tuitiensis, naturâ tardus, cum nec labore quidem proficere se quidquam adverteret in studiis, opem B. Virginis quàm ardentissimè poterat invocavit. Apparuit ei nocte Virgo, & sapientiam elargita est eam, quam orbis hodiedum suspicit. *Ex vita.* Ad Beatam Virginem confuge: Sedes sapientiæ est. Hujus implora opem: subsidium invoca, non deerit.

23. Berchmannus hoc fecit, & sæpè renovavit propositum: fugiam consortia tepidorum, & ut basiliscum aspectus mulierũ. Observavit utrumque solicitè. Teste enim vitâ ejus velut pestem fugit adolescentes quosvis vitæ liberioris: fæminam aspicere nullam notatus est. *Ex vita.* Imitare. Fuge & salvaberis, dictum est Arsenio, viam salutis à Deo scire volenti; fuge. Fuge mulieres: fuge Socios quosve suspectos. Vis castus esse? vis salvari? fuge Frustranea sunt remedia alia, si hoc non accedit. Ah quoties Angelicus juvenis seris satanizat in annis; quia paulò liberius versari cœpit cum socio disciplinam exoso, &c. quia incautiùs vagari oculis libuit!

24. S. Andreas de Chio terribilia & verè inaudita supplicia passus, aliam inter tormenta vocem non edidit ac hanc: Virgo Maria adjuva me! habebat hoc antea singula-

re, quod jocari aut otiosa verba proferre auditus sit nunquam. *Spec. Juv.* Imitare. Facessant ab ore Sodalis joci indecentes, nedû lascivi, quibûs non tam audientium animus quàm diabolus recreatur. In omni necessitate Mariam invoca. Virgo Maria adjuva me.

In Flandria Studiosi duo, & literarum & scelerum consortes erant, in licentiam omnem effusi, noctem ipsam extra domicilium proprium in cauponis ducere consueverant. Ex more noctem mediam potando traduxerant; auditur hora duodecima, & eorum unus scelere lassatus domum abit; raptim vestes exuit, lecto se committit. Adest cogitatio necdum persoluti pensi Mariani. Vicit pietas, preces licet miserè persolvit. Interea pulsantur fores, aperiuntur vi, adest monstrum visu terribile, flammîs undiq; cinctum; his alterum compellans vocibus: Agnoscisne quis sim? socius tuus sum, à quo modò recesseras. Noveris; eadem illâ hora, quâ nos voluptati vacabamus in caupona, à dæmone accusati sumus, à Deo morti æternæ adjudicati. Tibi ob preces B. Virgo inducias impetravit: ego domum rediens à dæmone præfocatus, æternùm hærebo inter inferos. Multa alia addidit, non sine immani horrore alterius. Pexens.

Studiose, quis animus tuus; Condiscipulorum unus servatur: damnatur alter;

ter;

ter; quis scit, quæ tua sors sit futura! Ah contremisce, & cum timore salutem operare. Unum Virgo Mater servavit: spera. Damnatus est alter: time. Spem inter & metum ambula. Nota etiam quod eadem horâ accusati sint coram Deo, qua numinis obliti gulæ vacabant impii. Eadem horâ. Quis scit, an non eadem hac horâ, hoc die, quo nescio quàm infanda scelera statuis, coram Deo accuseris. Disce pariter, quem exitum libertatis amor, & cauponarum frequentatio habeat. Disce etiam in juvenes justa Dei judicis fulmina contorqueri. Time! expavesce!

25. Berchmannus sic sæpius se allocutus legitur: Quid prodest tibi, ô anima diligi ab homine, si per hunc amorem perdis amorem Christi ut Pilatus? *Ex vita.* Agnovit prudentissimus adolescens cæcitatem hominis, qui exemplô Pilati, ut homini placeat, Deum offendit. Agnosce quæso & tu cæcitatem fortè tibi frequentem: perdis amorem Dei, ut conserves gratiam hominis: offendis Deum mentiendo, loquendo, tacendo indicanda, omittendo agenda, quia sociis id placet, times displicere homini. Miserum te, quid prodest amicitia omnis humana sine divina? Quid profuit Pilato Judæorum amicitiam quæsivisse perdendo divinam? Tibi quid proderit? Statue nunquã

in

in gratiam hominum offendere Deum.

26. In Provincia Peruana Sodalis quidam, quem antea pudor à manifestando quodam scelere absterruerat, Missionario nostro sincerè omnia aperuit, inquiens: Paratum se esse coram orbe toto peccata sua manifestare, ne dæmon aliquando ea objicere posset ad ignominiam sempiternã *Ann. S. J.* Cave sedulò, ne unquam maledictus pudor eò te inducat, ut sacrilego ausu scelus in Confessione taceas. Horres hoc agere? laudo horrorem: fac ut sit perpetuus. Pereat pudor, salvetur anima; ait Tertullianus.

27. S. Eduardus nihil unquam negabat, quod amore S. Ioannis petebatur. Pietatem hanc non uno prodigio remuneratus est Deus; qui etiam imminentem mortis horam eidem per S. Ioannem indicavit. *Ex vita.* Imitare: in hoc tuus eluceat in Sanctos amor, ut nihil eorum causâ renuas, nihil non agas. Petit à te B. Virgo, petit Patronus menstruus, ut hoc illud vt vitium studeas emendare, consortium illud fugere, & si ejus sentire patrocinium desideras, obedi voci ejus: ejus amore te emenda. O quàm hoc facile! quàm utile, habere per dies singulos è Sanctis unum, cujus amore diem illum bene colloces.

28. Fuit Clagenfurti in Austria, qui ut viveret licentiùs, dixit impius in corde suo,

non esse dæmones, aut infernum. Hinc in vitia omnia ruere pro ludo ei & joco fuit. Verum injecit effrænatæ huic vecordiæ manum misericors Deus. Infelices æternitatis infernalis carnifices non tantùm vidit impius ille, sed & sensit, quando presso gutture ac prope eliso spiritu ad extremas redactus est angustias. Eluctari vox una potuit Iesum & Mariam inclamans. Fugerunt tum spiritus tartarei; impius ille tantô perfunctus periculô, mox ad Patres Societatis properat, conscientiam expiat, vitam inchoat sanctam. Quæ ut constans esset, elegit sibi pro Tessera voces illas: Discedite à me maledicti. Hîs ille salubri semper eventu à peccato vel invitus avocabatur, ad constantiam trahebatur. *Ann. S. J.* Resipiscentem hunc tibi propone juvenem, non errantem. Tesseram illam habe familiarem tibi: Discedite à me! recordare judicii illius ultimi: Gehennam tibi ob oculos statue; non peccabis.

29. Anonymus Sodalis devotissimum se Mariæ Virginis clientem vivus ostenderat. Moriens, monitus, ut sanctam Virginem invocaret, ait: In hac spes meas omnes collocavi, nec de ope illius dubito, inde raptus in exstasin, clamabat: Abyssus abyssum invocat. Restitutus sibi; Deus bone, ajebat, quæ se mihi visa objecerunt! quàm

for-

formidabilia! quàm horrenda conspexi! sed B. Virgo mihi adfuit, me defendit: lætus morior. *Man. Sod.* De morte hac quid sentis? felix est, inquies. Sic est. Stude, ut & tua sit similis Spem in B. Virgine omnem colloca. Aderit hæc, si sanus eam colere non desistas. Frustra autem ab ea opem exspectas, si ejus amore te vincere, ei servire renuas. Novum igitur hodie in ejus obsequio fervorem concipe.

Martinus Delrio refert in Flandriæ comitatu tres fuisse Ganeones & lascivos Juvenes, absque pudore omni, potando luxuriandoque vitam prodigentes. Die quodam in seram noctem compotationes produxerant; tum unus eorum; sat, ait, Baccho ventrique datum; Deo gratias saltem. Ego verò inquiebat audacior, dæmoni gratias ago, cui operamur. Dixit, & cum sociis lectum & scelera petiit. Vix decubuerant, ecce tibi januâ vi reseratâ, dæmon atri & trucis viri speciem indutus ingreditur habitu venatorio, molossîs duobûs stipatus. Tum ad lectum conversus: Ubi est, ajebat, qui mihi gratias egit? referam & ego: ideò enim adsum. Lecto pavitantem abstrahit blasphemum, infigit ejulantem veru ibi posito, luculento igne assat, horrendum vociferantem; Dein rursus ad lectum versus; digni vos etiam estis ajebat pari supplicio; nec voluntas mihi deest; vi majore prohibeor: Invitus abeo,

& mo-

& moneo: Resipiscite, aut terribiliora vos manent. Hæc dixit & evanuit. Tremor & pavor nocte totâ relictos in lecto scelerum socios exanimatos propè occupaverat; factâ luce socium reperiunt extinctum, & planè assatum. Delrio. *Nescio an terrificum magis exemplum orbis viderit, priore sæculo factum. Vade, & Dei patientiâ abutere: tantò pecca liberiùs, quantò te Deus expectat diutiùs. Vade potationi, lasciviæ & cui nescio sceleri totum te trade: Sunt adhuc justo judici fulmina; quibûs te percutiat: Sunt inferi, quo dejiciat: Habet justitiæ suæ ministros dæmones, qui quovis momento saluti tuæ inhiant, pascere suam tuâ pernicie invidiam molientes. Disce etiam non esse supplicium ullum adeò vel auditu, vel cogitatu tragicum, quo non scelera castitati contraria puniverit Deus. Time si similia amas. Nullum scelus est, quô divinam in te justitiam certiùs valeas concitare: Nullum quô ad inferos properare faciliùs.*

Anni Sancti Mensis tertius.

Martius.

1. B. Stanislaus S. I. rarâ adeò & verè

Angelica devotione preces in templo persolvit ut non alio quàm Angeli nomine compellaretur; multi etiam essent, qui ad templum occurrerent, ut ejus orantis modestiam contemplarentur. *Ex vita.* Dignum cœlo spectaculum. Adolescens devotè in templo versans. Domus Deï est, in qua oras in dies, studiose: Iudex tuus est, in cujus conspectu oras & versaris. Time indecens aliquid admittere, non sine intuentium scandalo. Observa modestiam in templo.

2. Bituricensis Sodalis morti proximus sic suos alloquitur: Condiscipuli mei, fugite peccatum; declinate socios pravos; amate B. Virginem, in qua spem omnem colloco; hanc cum Patronis menstruis pro felici lucta ultima imploro. *Ann. S J.* Hæc fac & vives. vives vitam studioso dignā; vitam beatam in cœlis. Renova hodie devotiones tuas erga B. Virginem & Sanctos; item proposita alia pia.

3. S. Casimirus Passioni Christi tenerrimè addictus fuit; sæpè de hac legit; de hac libentissimè locutus est. S. Franciscus Seraphicus, & S. Vincentius Ferrerius à teneris eidem Passioni erant addictissimi, ad solam ejus memoriam abierunt in lachrymas. *Ex vita.* Imitare, & imminente vel præsente tempore quadragesimæ recordare Christi pro te passi; ejus amore non recusa pati

aliquid vel laborare, qui pro te dignatus est mori.

4. S. Æsquilius postea Archi Episcopus, duodecem annos natus, lethalî morbô correptus, à medicis depositus, ad luctam ultimam munitus, in extasin raptus, videbatur sibi versari in domo flammîs undique occupatâ; è qua cum elabi fugâ per omnia conclavia cuperet; ad splendidam aulam devenit, in qua Angelorum Regina regali soliô residens propitias supplicantibus aures dabat: Illic ratus fore se securum, pedibus Virginis advolvitur, clementiam invocat. Dedignata Virgo intueri eum, abduci jubet, & ad ignes abjici: Sancti præsentes rogare pro misero, & Virginem placare laborabant. At illa: Cujus vos causam agitis? Iuvenis est impius, pietatis olor, impurus, à quo nunquàm rite honorata fui. Rogantibûs verò denuò Sanctîs & emendationem pollicentibûs, ipsô Esquiliô sancta omnia promittente reposuit Virgo: Iret & emendaret vitam, errores præteritos elueret, fidem servaret inviolatam, Cessavit sic visio. Esquilius sibi redditus, rem seriò agi videns, totum se pietati & Virginis cultui dedit; adeò ut in Archi-Episcopum eligi meritus fuerit. *Spec. Juv.* Non errantem sed resipiscentem propono Esquilium. Frustra tibi à Virgine favores polliceris in vita hac pessima.

ſima. Oculos à te avertet, ſi tu à pietate avertas animum tuum. Infelicem te, niſi reſipiſcas.

5. Alexander Bertius, Adoleſcens piiſſimus, è ſchola domum reverſus, domeſticos convocat, refert audita in concionibus ſcholaſticis. *P. Nieſſ* Imitare: O quàm multum boni præſtari à te poſſet, ſi tempore prandii vel cœnæ referres exempla, & alia in ſcholis audita! quot mala impedires! quot ſermones minùs honeſtos arceres!

6. Neapolitanus Sodalis impuro amore diu detentus, ejuratâ vitâ peſſimâ ſanctam cœpit; de conſtantia ſolicitus jubetur ad B. Virginem confugere: obſequitur. Accipit paulò poſt in ſchedula Patroni menſtrui hanc ſententiam S. Gregorii: Noli ceſſare ab Oratione, quod enim tibi largiturus eſt Dominus, non negat, ſed differt. Animatus hac voce perrexit in precibus, adeòque in propoſito pio confirmatum ſe ſenſit, ut ad peccata priora reverſus ſit nunquam. *Ann. S. J.* Imitare, in dies ad B. Virginem confuge per preces, & conſtantiam in propoſitis tuis flagita. Ne dubita; ſequetur emendatio conſtans.

Sodales duo, pomeridiano tempore, quo cœtus Marianus adeundus erat captatô ex amœnitate cœli conſiliô navem conſcendunt, ut in Pado Italiæ flumine luſitabundi reliquum diem

diem exigerent: dum id agunt, dicit alter alteri: Quin in hoc otio Sodalitatis pensum persolvimus, & horarias B. Virginis preces oramus? Respondit alter: Leges Sodalitatis non obligare sub peccato; & precandi animum sibi jam non esse. Orat ergò unus; negligit alter: Pœnam iste, alter præmium repentè tulit. Ortâ enim nescio unde tempestate & cœlo in turbinem verso, ecce! navis agi flumine toto, concuti, impingi, demergi, ambo in flumen excuti: ambo Mariam inclamare: Adest hæc ei, qui preces persolverat & prehensâ manu periculo eum eripit: ad alterum verò similè auxilium implorantem conversa ait: Non obligabaris me colere; nec ego obligor te morte eximere. Hoc dicto miserum cum morte luctantem deseruit. Sod. Part. *Sicut Mariam colis sic te adjuvabit. Time tepori tuo & ignaviæ; nunquam neglige consueta ei obsequia exhibere. Miserum te, si te Maria deserit: deseret autem, si tu prior eam deseras.*

7. Anonymus Sodalis ad peccatum à sociis invitatus, neque precibus, neque promissis, neque verberibus cessit. Ausi sunt impii constantem in proposito juvenem ligare vinculis, per tres dies in loco tenebroso detinere, pugione etiam intentato mortem minari, nisi obsequeretur. Sed nec sic quidem, ut sceleri consentiret, induci potuit: hoc unum heroâ semper voce

reposuit: Malo mori, quàm fœdari. *Ann. S. J.* Mira certè in juvene constantia: hanc tu stude æmulari; dum à sociis aut dæmone ad peccatum qualecunque incitaris, non cede blanditiis, non promissis, non vano timori. Repete illud: Malo mori, quàm fædari.

8. B. Aloysius oculorum mortificator admirabilis; res visu jucundissimas, eis planè interdixit; ut, dum equitum lustrationi interesse cogebatur; dum Legati Iaponii Romam abirent, pompam illam ne intueri quidem voluerit. *Ex vita.* Levia hæc sunt tuô judiciô: sed & in levibus his magna sæpè victoria, res Deo gratissima. Imitaere, mortifica subinde oculos; dum res jucunda eis sese offert: averte oculos tuos, ne videant vanitatem, præcipuè in sexu altero. Non unus hæret inter inferos, qui æternùm foret felix, si oculos suos ab objecto aliquo illicito avertisset. Videre omnia velle curiosè, primus ad peccatum gradus est, primus ad interitum.

9. Berchmannus sæpè sanctissima Confessionis & Eucharistiæ Mysteria obiit, non contentus iis vicibûs, quibûs per legem studiosi omnes eadem Mysteria jubentur suscipere: Fructus, quem consecutus est, hic erat, ut tantam animæ puritatem adeptus fuerit, quæ sæpè nec absolutionis materiam

Con-

Confessario suppeditaverit. *Ex vita.* Imitare; sæpiùs sacra hæc accede Mysteria non tantùm pœnæ scholasticæ metu. Præcipuè, dum festum aliquod solennius est, aut dies Patrono menstruo sacra, nunquam omitte S. Communionem: Miserum te, si hac in re tepere incipias! Unde accidere dices, multos esse è Philosophis qui vitam prorsus dissimilem agant illi, quam egerunt in scholis humanioribus? dicam; ex eo accidit, quia rariùs divina accedunt, aut minore cum devotione.

10. Viennensis Sodalis ut se arctiùs B. Virgini obstringeret, votum Castitatis concepit; schedulam voti testem è collo suspendit; contra tentationes omnes præsentissimum inde remedium hausit. *Ann. S. J.* Tantum non peto à te, hoc tamen utilissimum foret; si post maturam deliberationem & consilium, Confessarii, ad breve tempus, vel tale Castitatis, vel aliud devotionale votum conciperes: cogitur hac ratione natura cæteroquin inconstans, ut obediat Deo, & agat bonum. Sed & hoc facile est, ut sæpè formulam sodalitatis renoves, & sic identidem te de novo B. Virgini consecres.

11. S. Thomas Aquinas à teneris nullo ludi genere, sed librîs solùm delectabatur; sic vita ejus disertè testatur. *Ex vita.* Imitare;

tare: Vocavit te Deus ſingulari ſuo in te amore ad ſtudia, per quæ idoneum te faceres officiis altioribus pro tua & aliorum ſalute gerendis. Ergò tuum eſt, ſtudiis præcipuè delectari. Alloquere te ſæpè, utì Bernardus ſolebat, dicens: Bernarde, ad quid veniſti? veniſti, non ut ludas, ut otieris, ſed ut ſtudeas. Fuge præcipuè luſus vetitos, in quibus non temporis ſolùm, ſed & pudoris, & innocentiæ jactura non rarò ſubitur.

12. Ingolſtadienſis quidam malorum ſociorum flagitiô in deteſtanda quævis ſcelera lapſus, eò etiam deductus eſt, ut dæmoni ſe tradere ſtatuerit; jam ſchedulam ſcripſerat, jam occaſioni inhiabat; cum ecce una hæc occurrit cogitatio: Hæc tu, cum Sodalis ſis, audes? fregit iſta impudentis animum, & mutato repentè conſilio ad Confeſsarium abit, rem exponit, deploratque. *Sod. Parth.* Hæc tu, cum Sodalis ſis, audes? hæc? tam turpia? tam indecora? tam abominanda? pudeat! Sodalem te dicis caſtiſſimæ Virginis; & hæc audes, quæ vel caſta auris refugiat? Sodalem dicis Virginis mundiſsimæ; & hæc audes, quæ & tuam & aliorum animas fœdiſſimè deturpent? Erubeſce, & hac ſalutari cogitatione compunctus abjice nefandas illas conſuetudines; fuge peccatum hoc -- noſti

quale,

quale, quàm periculosum, quàm indignum eô, qui Sodalem se dicit.

Placentiæ Sodalis sacro igne accensus statum Religiosum spirabat; eâ apud omnes opinione erat, ut Mariana præfectura ei committeretur. Verùm sociorum pravorum consiliis à Religione, à pietate abductus, lascivîs amoribûs irretitus est. Puellam quandam insano amore deperibat. Hujus ante fores obambulans adolescentem alium videt, qui alia omnia agitans ibi constiterat. Exarsit miser & rivalem suum esse ratus; edico tibi, ajebat, ut illicò hinc facessas, nisi pessimè haberi velis. Excusat alter factum fortuitum. Sed Sodalis impius strictô gladiô eum in fugam compulit: Ille fugiens animum revocat, stringit gladium, vim vi repulsurus, jamque ad instantem obversus pede fallente corruit, gladiô ante se elatô; in quem furore excæcatus miser amator irruit, seque ipsum alienô ferrô transfigit; paulò post vitâ discedit. Ann. S. I. *Hoc fine coronatur lasciva impietas. Tuæ pietati, si quæ est, noli fidere: quantò illa major est, tantò graviores dæmon insidias parat per socios maledictos, tantò ruina erit terribilior.*

13. Michäél Ajatumus dum sermonem turpem aut paulò liberiorem à sociis moveri advertit, confestim tacitè consortio se subducit, ne verba ad animum penetrarent, animam læderent. Idem in S. Marculphi

vita laudatur, quod omnia coætaneorum vaniloquia ſtudioſè vitaverit. *Ex vita.* Amas caſtitatem? ama hac in re imitari. Fuge, fuge ſermones vel à longè turpitudinem aliquam redolentes. Nihil caſtitati noxium magis. O quot adoleſcentum innocentia illæſa adhuc eſſet & integra, ſi verbum unum alterumve turpius, ad aures non admiſiſſent!

14. S. Calibyta dæmonem ſuperaturus rarâ conſtantiâ annos multos in domo paterna ignotus, pauper, patiens exigit; cauſam rei hujus ipſe hîs verbîs ſub vitæ finem dedit; Chriſtum meum amans, ſvave jugum ejus portavi. *Ex vita.* Diſce dæmonem vincere in levioribus ſaltem: conſtanter exequere propoſita tua ante Confeſſionem facta: non deſere pietatis exercitia, quæ pio fervore inflammatus ſuſcepiſti. Diſplicet Deo ſtulta & infidelis promiſſio: diſplicet inconſtantia.

15. Ioannes Bartirotus Caſtellanetæ princeps Sodalis, in honorem Paſſionis Dominicæ diebûs Veneris, flagellô in corpus ſuum innocens deſæviit; & hoc quidem fecit annos non niſi novem natus. Michàël Ayatumus eandem ob cauſam jejunabat Feriâ ſextâ. *Ann. S. J.* Par eſt, ut & tu tempore, Quadrageſimæ, mortificationem aliquam ſubeas in honorem Chriſti Paſſi. Quam
verò?

verò? si jejunium & flagellum displicet, diebûs Veneris abstine peccatô aliquô, ad quod maximè inclinas.

16. S. Paulus postea Virdunensis Episcopus, à vocatione implenda avocabatur per parentes, qui quæ nescio bona ei oggerebant: at ille, nihil, ait, intulimus in mundum hunc, nihil auferre inde possumus: Deum sequor. *Spec. Juv.* Agnovisti fortè vocationem tuam: Cave ulla te res ab ea implenda avocet. Bona mundi, digna non sunt, ut eorum amore Deo vocanti morem gerere dubites. Deserenda erunt tibi illa, si non antè, certè in morte. Sed & in quavis peccandi occasione Dei vocem sequere non hominum: Dei vox est: declina à malo, & fac bonum. Vox Dei est: Quasi à facie colubri fuge peccatum. Hanc audi.

17. Mediolanensis Sodalis erat, qui alterius castitatem expugnare laborabat: Respondit: illa: Corpus hoc, quod Sanctissimam Eucharistiam hodie suscepit, núllo certè humanô contagiô violari patiar: vitâ potiùs quàm pudicitiâ cedam. Attonitus ad hæc verba juvenis, eadem sanctissimæ Eucharistiæ susceptæ memoriâ à scelere avocatus est, atque ut nunquam tale repeteret, frequentiùs eam suscepit, frequentiùs ejus recordatus est. *Ann, S. J.* Studiose mi si quid est, quod sceleris cupiditatem repri-

mere possit, potest id memoria SS. Eucharistiæ toties susceptæ. Cogita ergo sæpè: Hodie, vel ante duos aut tres dies suscepi Christum Eucharisticum, non audeo linguam meam, non manus, non oculos violare; Christus enim membra hæc veluti sacravit.

18. Launomarus postea Abbas, de victu quotidiano à parentibus submisso, fermè indies aliquid sibi subtrahit, egenis largitur. Hoc ipsum à plurimis sanctis adolescentibus factum. Credo majore eos in morte fruitos esse solatio, ac studiosos illos, qui expensas à parentibus pecunias lusu & otio perdiderunt. *Spec. Juv.* Tu si egenis largiri non potes, preces pro eis non rarò persolve: Parentum sumptus ne frustranei sint, omni studio enitere.

Adolescens quidam modestiæ omnis virtutisque exemplar, omnium in se oculos amoremque rapuerat; alienissimus ab omni vitio, in quod incauta sæpe juventus solet impingere. Audiit ille nomen Pöëtæ cujusdam veteris celebrari ob versuum concinnitatem; reprehendi tamen ob impuritatem, Nihil ille moratus, Pöëtam emit solam in eo Latinitatis elegantiam spectaturus. Emptum legit, lectum probavit, probatum suis non tam versibûs, ùt statuerat, quàm moribûs expressit. Sensêre mutationem inexpectatam omnes & gemuêre.

Clades

Clades manifesta erat, cladis causa occulta. Apparuit deinde & ista; adhibita remedia; sed incassum. Praceps animus, jugô palam excussô, per omnia vitiorum abrupta ferebatur; adeo ut à Magistratu publicâ infamiâ notatus scholâ & urbe proscriptus fuerit, utinam non & cœlo. Lechn. *Tantum valet libri pestiferi lectio. Cautus hìc esto. Occurrunt passim cantilena, libri nonnisi igne & tartarô digni. Curiositatem eorum lectione pascere velle, res periculô plena est. Haret altè infixa memoria lectio pestifera; cladem excitat eam, quam in adolescente hoc conspeximus. Projice abs te libros tales. Cyriaci cujusdam Monachi domum intrare B. Virgo renuit, utì aliorum cellas subierat, sed severo eum vultu intuita est, eò quòd hostem suum, ut ajebat asservaret. Hostis ille erat libellus Hareticus, inscio Cyriaco domi sua servatus. Hunc ille ocyus expulit; favore dein Mariano recreatus. Talem Maria hostem si nutris, ejice: Maria ad te non divertet, nisi ejeceris.*

19. Berchmannus singulari devotione ferebatur erga S. Iosephum, affirmans: Nihil se unquam à magno hoc Sancto flagitasse, cujus compos factus non fuerit. *Ex vita.* Imitare. Elige magnum hunc Sanctū in Patronum tuum & frequentissimè invoca. Ut autem intercessionem ejus faciliùs tibi impetres, stude æmulari virtutes S. Iosephi.

ſephi. Primariæ erant: Amor erga Ieſum & Mariam, Caſtitas illibata. Ultimam etiam vitæ horulam ei commenda. Patronus morientium eſt, inter Ieſu & Mariæ brachia mortuus.

20. S. Thomas Aquinas à propudioſa fæmina ad ſcelus incitatus, hîs Deum & B. Virginem vocibûs alloquitur: Ne ſinas quæſo Domine Ieſu, & tu ſanctiſſima Chriſti Mater & Virgo, ut tam immani ſcelere me obſtringam. Factâ hac oratione, titionem è foco arripit, impuram cubiculo ejicit, clauſô dein oſtiô gratias Deo agit pro victoria. Placuit Deo generoſus animus: Angelos miſit, qui invictum pugilem cingulô quodam ſacrô munirent, perfectamque à tentatione omni laſciva immunitatem largirentur. *Ex vita.* Imitare. Ieſus & Maria ſint tuum in omni tentatione refugium. Animô heroicô rejice abs te omne illud, à quo ad Dei offenſam invitaris.

21. S. Caſimirus mortificationis admodum amans fuit. Sæpe nudâ humo uſus eſt lecti locô: ſæpe noctu de hyeme nudîs pedibûs obire ſolebat Eccleſias: cilicium horridum ſub purpura ferè aſſiduè portabat. *Ex vita.* Horres mortificationem, Studioſe? Cœlum horres; neque enim hoc ſine illa obtineri poteſt. In levibus incipe vim tibi inferre: patere frigus leve in templo, labores

bores in ſtudiis, varias quotidie occurrentes moleſtias lætô animô tolera. Etiam levia iſta, Magnus Deus magnâ mercede remunerare ſolet.

22. Barienſis Sodalis alteri, à quo graviſſimè fuerat offenſus, ajebat: Ne timeas: nihil interrumpet amicitiam noſtram, quam in B. Virginis gratiam ſpero æternam fore: quin inpoſterum amiciores erimus. *Ann. S. J.* Cave vindictam ſpires, aut aversationem oſtendas, dum leviter fortaſſe ab altero offenderis. Meretur B. Virgo, ut tantillum ejus amore feras.

23. B. Aloyſius S. I. volens rem B. Virgini gratiſſimam facere, adhuc Novennis Feſtô Annuntiatæ Virginis eidem vovet caſtitatem perpetuam. Idem fecit Michàél Ayatumus annô ætatis decimôtertiô. Uterque hoc conſecutus, ut omni turpiore motu, quoad viverent, eſſent immunes. *Ex vita.* Imminet feſtum idem magnæ Virginis. Quam tu ei rem gratam facies? Puriſſima Virgo eſt: Puritatem amat. Hoc ſaltem age: Propone firmiter fugere minimum quodvis periculum caſtitatis vel perdendæ, vel etiam lædendæ. Tale periculum eſt in conſortiis ſuſpectis, in ſermonibus, in cibo & potu immodico.

24. Berchmannus diebûs ſabbathinîs & in pervigiliis B. Virginis jejunio rigidiſſimo

coluit purissimam Virginem. Idem fecit Ayatumus: idem innumeri magnæ Virginis cultores. *Ex vita.* Est hodie pervigilium B. Virginis. An amor tantæ Matris tantum à te non impetret, ut jejunium aliquod hodie suscipias, aut saltem cibô aliquô gratô abstineas. Statue quid agas.

Juvenis blandâ alterius familiaritate à studiis ad otium, ab hoc ad scelera varia, maximè ad lascivias deductus fuerat. Sæpe errorem turpissimum deflevit; sæpe manus B. Virgini sacratas infami tactu non ulteriùs contaminare statuit: sed relapsus semper, semper reversus ad vomitum. Intentat Confessarius ultionem Divinam inconstanti, minatur Tartara, frustra erat. Fuit, cum urgente tentatione denuò scelus repetere statuit. Ergo ad conclave aliud se confert, ut solus rem detestandam faceret. Cum ecce tibi! Monstrum diabolicum ibi reperit, quod furore summo juvenem aggreditur, fasciam è tibialibus repentè solvit, eam ipsius collo alligat, & è quadam conclavis trabe suspenso gulam stringit, strangulatque lictor Tartareus. Rem totam dæmon ex Energumeno retulit, addens; quòd Angelus Custos diuturnæ clientis inconstantiæ indignatus potestatem dederit dæmoni, eò rapiendi miserum, quò rapi pridem debuerat. Pexenf. *Ecce abominandi sceleris, ecce inconstantiæ pœnam. Ah expavesce! time, ne*

& Tutelaris tuus tuâ fatigatus impietate te deserat. Horre scelus omne, castitati maximè contrarium. Fortè primum quod audebis, ultimum erit. Paratus jam jam adstat lictor Tartareus, ad nutum Divinæ Justitiæ gulam tibi elisurus. Si minùs intelligis, quæ dixi; cave inquiras curiosè. Ora Deum, ne intelligas ea, quorum scientia innumeris æternùm obfuit. Peccatoribus hìc loquor, & eheu! nimiùm ea scientibus.

25. B. Aloysius S. I. adhuc parvulus in singulis scalæ gradibus, Scalam cœli, B. Virginem salutabat verbîs illîs, quibus hodie per Angelum salutata est: Ave Maria. *Ex vita.* Studiose, dies hodierna est illa, quâ B. Virgo facta est non tantùm Mater Dei, sed & hominum, & tua Mater. Congruum est, ut singularî eam obsequiô, filiali affectu venereris. Formulam Sodalitatis, quâ potes devotione, renova. Et quid si Aloysium hodie ad literam imitareris? quid si ascendendo aut descendendo per gradus Virginem Sanctissimam verbîs Angelicîs salutares? quid si per Octavam totam? Aude aliquid amore Virginis. Mater tua est.

26. Parmæ Sodalis quidam ut se vinceret, saniem ex ægri ulcere scaturientem generosè exugebat, novus in ætate tenera Xaverius. *Ann. S. J.* Ridet Mundus hanc, ut arbitratur, stultitiam; sed erit, cum vi-

dens

dens hunc sodalem inter Beatos alios, dicet: Ecce hi sunt, quos habuimus in derisum: existimabamus, quòd vita illorum esset insania: & ecce computati sunt inter filios Dei. Sed quis erat, qui generosè adeò se vicit? Sodalis erat. Nomen idem habes. Quomodo factum imitaris? qua in re te vinces hodie? Examina, quid grave hodie tibi vel molestum possit accidere, & amore Dei tui in eo te vincere propone.

27. S. Malachias sanctè educatus dum occurrentia in sæculo salutis pericula agnoscere cœpit, cœpit & fugam adornare, inquiens, Meus ex Deo est spiritus: Dei beneficiô vivit adhuc in me innocentia vitæ, continentiæ decus, justitiæ fames. Sed nihil horum mihi tutum est sub principe mundi. Fugiam ergo, ut salvem animam meam. *Ex vita.* Sic est: secura non est in sæculo innocentia: salus, innumeris est exposita periculis. Si Divina bonitas inde evocare te dignabitur, lætus sequere.

28. S. Martinianus adhuc adolescens eremum petierat, ut securiùs salutem suam operaretur. Exactîs aliquot annîs ad grave flagitium à personato diabolo incitatus, cum parum jam à consensu abesset, se se recolligens ignem accendit; huic manus, huic alia membra inserit, dicens; Martiniane, si ferre hunc ignem potes, pecca audacter: si

minus;

minùs; cave, quia gravius imminet infernale incendium. *Vita. PP.* Eſt ſane hoc remedium, quod omnem peccandi voluptatem extinguere in te poteſt. Accede quæſo ſubinde fornacem ſuccenſam; ignem conſidera; delibera, an peccare velis, & æternorum ignium periculo te exponere. Ferre ſi non potes ignem hunc, quomodo peccare potes?

29. B. Aloyſius crucis Chriſti memor, tenellus adhuc adoleſcens aſſerculo ſæpiſſimè de nocte incubuit. Moriens juſſus, ut caput tegeret, reſpondit: At Ieſus meus tecto capite mortuus non fuit. *Ex vita.* Ita quem vivens eſt imitatus, moriens quoque voluit imitari. Quæ tibi Chriſtum imitandi cura? O quàm diſſimilis vita tua eſt vitæ Chriſti? Tacet Ieſus inter opprobria & calumnias: tace & tu inter leviora. Patitur Ieſus & moritur pro ſalute noſtra, pro peccato extirpando: age & tu aliquid pro tua ſalute, peccato fortiter reſiſte.

30. Ingolſtadienſis Sodalis videns varias à Propola quodam merces vendi, & inter eas etiam imagines turpes & cantilenas, corrogatâ pecuniâ omnes eas emit, & in flammas conjecit, ut hac ratione plurima peccata impediret. Novit fortaſſe quod deinde dæmon ex obſeſſo aliquo faſſus eſt, cantilenas tales plures ab ipſo dæmone

compo-

compositas esse, aut dictatas alteri, ut plurimarum esset ruina animarum. *Sod. Parth* Si Deum amas, non tibi solùm attende; stude & aliorum peccata impedire, si potes: potes autē sæpissimè. Non moneo, imaginem & cantilenam minùs pudicam ne foveas; procul enim te ab his dæmonum illiciis abesse credo.

31. Bartholomæus Vergara ab annis primis virtutis cultor eximius fuit. Ferebatur in Beatam Virginem devotione quadam præcipua. Morbô gravî correptus devotionis hujus præmium tulit. Pridie S. Michàélis, Pater ejus præter morem de nocte surgens audit gementem filium, videt sedentem in lecto; Rogat ille, quomodo se habeat? tum filius: Moriar, Pater mi: Dei Genitrix mihi adfuit, atque ut æternitati me accingerem, monuit: fac ocyus adesse, Confessarium meum. Dicente verò Patre, cras id fieri posse, nec debere Confessarium nocte intempestâ evocari, negavit Bartholomæus die altero tempus fore. Ergo ea adhuc nocte Sacramentîs omnibûs munitur, præsentibûs Angelîs duobûs, & necessaria omnia adornantibus: inde B. Virginis iconem complexus pientissimè expiravit. *Sod. Parth.* Solicita est sancta Mater pro filiis suis. Tu filium te proba tantæ Matris; & morienti tibi non deerit.

Juve-

Juvenis quidam Parisiis in voluptatum cœno se circumvolverat. Finem facturus impietati Judex justus lecto juvenem affigit, morbô fatali eum ad æternitatem evocat. Versabatur ob oculos impii pernicies, quæ imminebat, æterna. Quapropter peccata omnia sincerè confessus Sacramentis supremis muniri petiit: hîs munitus obiit. Jam funus ei parabatur ab amicis solenne; cum amicorum suorum alicui, permittente ita ad aliorum terrorem Deo, apparet infelix, æternisque se tormentis adjudicatum fatetur eâ de causâ, quòd serius dolor & propositum in Confessione defuerint: Videbam enim, inquiebat, me, si convalescerem, denuo ad ejurata peccata rediturum, neque ab his animum satis avertere laboravi. Spec. Exemp. *Timeo ne plures hâc de causâ pati æternùm cogantur inter inferos. Serius dolor, Studiose, serium requiritur propositum. Dolorem oretenus tantùm exprimere satis non est. Quales fuêre Confessiones tuæ? qualis dolor? res digna, quam examines Time saluti tuæ, & majorem posthac curam doloris & propositi gere, ne inde tuam aliquando sentias damnationem augeri, unde salutem obtinere potuisses.*

Anni Sancti Mensis quartus

Apri-

Aprilis.

1. B. Aloysius tria præ cæteris Iuventuti teneræ commendanda esse censuit. 1. amorem Castitatis. 2. Cultum B Virginis. 3. Reverentiam & devotionem erga Ss. Eucharistiam. Singularia cujuslibet documenta dedit Iuvenis Angelicus. Castitatem servavit illæsam: Mariam coluit ut Matrem: Ss. Eucharistiam stupenda quadam reverentiâ prosequebatur. *Ex vita.* Imitare: Tria hæc tibi curæ & cordi sint. Examina, in quo emendatione opus sit.

2. Ioannes Barchmannus integerrimus ille adolescens morti proximus, tribûs maximè rebûs se delectari ajebat. 1. Quòd in Castitatem peccaverit nihil. 2. Quòd nullum deliberatum veniale admiserit; nec consueta pietatis exercitia omiserit. 3. Quòd totum se Superiori aperuerit, regendumque commiserit. *Ex vita.* O ingens moribundo tibi solatium, si eodem modo verè gloriari possis, & dicere: Castitas mea illæsa est: peccatum studui fugere: nunquam preces meas, nunquam sacra Mysteria neglexi: nihil non Confessario meo patefeci. In manu tua est, hoc tibi solatium procurare. Saltem ex nunc sic vivere statue, ut horũ recordatio te in hora mortis consoletur.

3. Ger-

3. Germanus quidam adolescens impius æstivo tempore sese recreaturus in campos exiverat. Post confectum breve iter somnô obruitur, hasque sibi allabi voces audit: Horrendum est incidere in manus Dei viventis. Hæc audiens totô animô territus ad B. Virginem, quam simul audire & coram intueri videbatur, confugit. Quòd dum agit, adest vox hæc altera: Putasne quòd ero similis tui? sudat ad hæc juvenis, pallet, quò se convertat, ignorat: Revertitur ad Virginem, verùm & hæc vultum avertere visa fuit. Evigilans interea monitum cœleste amplectitur, vitam priorem Confessione expiat, novam eamque adeò sanctam exorditur, ut ab ipsa B. Virgine invisi & instrui mereretur. *Spec. Ex.* Disce timere; disce sperare. Time impendentem capiti vindictam. Horrendum est incidere in manus Dei viventis. Time & B. Virginem, si à peccasis non desistas. Avertit illa vultum à peccatoribus se emendare nolentibus. Refugium peccatorum est, sed eorum, qui converti quærunt. Conversionem auspicare cum Iuvene illo, & Patronam senties Mariam.

4. Adolescens Eremita cum seniore recitabat Officium. Septies somno obruebatur senior: septies abitum parabat junior, ut somno dare se posset: vicit se septies, nec

nisi

nisi oratô Officiô recessit. Paulò post sedem in cœlo septem coronîs illustrem parari vidi: Senior, quas Iuniori ob totidem victorias de somno relatas destinatas intelligit. *Ex vit. PP.* O quot tibi mense uno invides victorias, si in surgendo te vincere recusas. Nullam inertiæ tuæ coronam parat dæmon; parat Deus victoriæ tuæ. Berchmannus datô ad surgendum signô vocari se à Deo credebat, & illico lectô se proripiens dicebat: Domine, quid me vis facere? Vocat & te Deus per regulas scholasticas aut Marianas, cur obsequi tardas? cur primitias diei dæmoni sacrificas? Rides jam ad ista, tanquam levia aut scrupuli essent; sed timeo ne aliud sit tuum in morte judicium. Religioso alicui moribundo dæmon horam unam objecit, quam licet Ianus otiosô somnô perdiderat. Tibi quot quæso horas objiciet? Statue generosè te hac in re vincere.

5. B. Aloysius vocationem agniturus hæc egit. 1. Puritati vitæ magis ac unquam antè studebat, ut tantò faciliùs gratiam à Deo obtineret. 2. Septimanîs singulîs devotione maximâ SS. Eucharistiam suscipiebat. 3. Libros spirituales & Confessarium consulebat. 4 Opem B Virginis enixè implorabat, à qua etiam festô Assumptionis ante altare ejusdem orans, ad Societatem IESU perce-

ptibili

ptibili voce vocari meritus eſt. *Ex vita.* Imitare: Si necdum deliberaſti, age eadem: Res momenti maximi eſt vocatio. Si quod in te eſt, agis, Deus non deſerit. Si verò jam deliberatum eſt, conſtantiam poſtula, & gratiam id implendi, quod è ſalute tua eſt.

6. S. Hermannus, jubente B. Virgine, Ioſeph dictus ob mores longè caſtiſſimos, præter virtutes alias habuit, quod toto vitæ tempore mendacium nullum, nullum ſermonem minùs honeſtum protulerit. *Ex vita.* Rara laus, ſacratam Deo & B. Virgini linguam rebus ejuſcemodi non inquinare. Non miror favores ſpeciales, quibûs à B. Virgine donabatur. Vis & tibi eſſe propitiam Virginem? ecce modum hoc obtinendi: Cuſtodi linguam: cave à mendaciis: à verbis indecoris.

Juvenis erat qui abominando cuidam ſceleri diu totum ſe dederat. Demum agnitâ ejus turpitudine, æternæ damnationis periculo territus, Confeſſionem generalem peragit. Octo dies ſine peccato conſueto exigit. Inde plateam inviſit, ubi ſcelerum conſors habitabat; Quæ viſum adoleſcentem ſuaviter invitans ait: Ego illa ſum: non ſalutabis me? veni, loquemur tantum: exibis ſine peccato. Juvenis primùm voces illas reponit: Ego non ſum ille: ſed victus tandem domum ſubit, conce-

pto

ptô primùm firmô non peccandi propositô, paulatim verò fallacibûs inductus blanditiîs statuit peccatum repetere: Surgit è loco in quo haserat, peccatum patrat: & ecce! momento eodem terra inferne aperta miserrimum absorbet. Audita sunt mox voces hæ: Maledicta hora, quâ te nosse cœpi! propter te æternùm perii. Ottonelli *Expavesce! non luditur in cœlo Deus. Odit inconstantiam in sanctè propositis. Disce peccandi occasiones devitare. O ut tu maledices horæ illi, qua nosse cœpisti eos, per quos te abduci à pietate jam advertis nisi nunc nefando consortio maledicas. Time locum, time personam illam accedere. Ita propositis tuis, Ultor sequitur à tergo Deus.*

7. Monachiensis Sodalis Confessionem paraturus enixè obtestatus est B. Virginem, hanc sibi ut à Deo impetraret gratiam, quâ illustratus peccata omnia ritê agnosceret & confiteretur. Oranti, cadens è sublimi schedula apparet, in qua occultum aliquod peccatum notatum erat: hoc jubebatur cum cæteris confiteri, & pœnitentiam de eo agere. Patuit prodigium etiam ex eo, quòd nullus præter juvenem illum legere potuerit peccatum in schedula illa exaratum. *Ann. S. J.* Imitare. Confessionem paraturus solicitê invoca Virginem Matrem: adhibe diligentiam, ne peccatum ullum omittatur, majorem adhibe circa dolorem de peccatis.

Licet peccata levissima afferas in confessione, dolor tamen serius adsit necesse est. Hinc tragicum illud narratur de juvene, qui damnatum se æternùm fuisse, apparens amico suo dixit; eô quòd venialia tantum peccata confitens non multum de dolore fuerit solicitus. O studiose, disce, Confessiones singulas tanquam res momenti maximi tractare: nunquam eas nisi præmissâ debitâ præparatione perage; alias Remedium nostrum fiet Diabolo triumphus, ut ait S. Ambros. Horrendum est, quod S. Theresia dixit, nullâ aliâ occasione plures damnari homines, quàm confessionibûs perperam factîs. Tu curam rei hujus posthac habe tantam, quantam salutis tuæ.

8. B. Stanislaus quàm rarum Innocentiæ, tam inauditum Pœnitentiæ exemplar extitit. Grave peccatum admisit nullum: pœnitentiam tamen eam egit, quàm à peccatore maximo vix expectares. Cilicia, flagella, jejunia, lecti asperitas quotidianæ ei deliciæ videbantur. Lacrymarum materia fuerunt sex menses, quibûs Vocationem suam tacuerat. *Ex Vita.* Si hoc justus & innocens agit, quid mihi, quid tibi agendum? periit fortè, pro dolor! innocentia nostra! pœnitentia ubi est? Iungamus lacrymas: peccata præterita deploremus: contritionem sæpissimè eliciamus: mortificati-

ones

ones amplecti non dubitemus. Grave tibi nomen mortificatio? gravius erit: discedite à me maledicti.

9. Genuæ Sodalis gravi affectus injuriâ primo æstu ultionem parabat: mox sanctiore cogitatione retractus templum subit, Crucifixo advolvitur, ejus amore hanc injuriam patienter ferre proponit. Alius lapides, quibus petitus per injuriam fuerat, ad Crucifixi pedes deposuit. Alius inimico ante mortem advocato condonat injuriam per vulnus lethale inflictam, dicens, velle se imitari morientem salvatorem suum. *Scd. Parth.* Quæ & quanta victoria! quid tu amore Crucifixi Iesu?

10. S. Hermenegildus Regno potius terreno se cessurum esse affirmabat, quàm fidem perderet, uti re ipsâ fecit. Daniel stylita à vita Sanctiore avocatus ait: Potius moriar, quàm retrorsum avertar. Alius Anonymus ad peccatum tentatus: si vel Tartara aperta viderem, insilire mallem, quàm peccare. *Spec. Juv.* Ille Regnum, iste vitam, tertius & cœlum mavult perdere, quàm Dei gratiam, fidem, constantiam in bono. Quanti ista æstimas? quàm levis res est, quæ te à constantia avocat; ob quam Dei gratiam perdis! voluptas brevis, aut commoditas est, aut solatiolum è consortio, lusu &c. speratum. Pudeat stultæ adeò com-

commutationis & mercaturæ.

11. S. Evergeisilus, postea Episcopus, nunquam repertus est de die nisi aut legens, aut orans, aut aliô modô laborans. S. Ludgerus lusus pueriles ut pestem vitabat; aliis ludendo se recreantibus, libros volvebat, aut precibus vacabat. Idem Berchmannus egit, addens: nullam rem æque vitare debeo ac otium, tristitiam, familiaritates *Ex vita.* Imitare. Fuge otium· Pulvinar diaboli est. O quam Deo rationem dare cogetur studiosus de tot horis, quas indies otiosè consumit! de lusibus quid sentis? pestem vocabat S. Ludgerus, & innumerorum originem malorum. Experientia veritatem testatur. Lusibus vetitis cave assuescas; rues in peccata gravissima.

12. Tolosæ in Gallia Iuvenis ex frequenti impiorum congressu mores induit longè teterrimos, adeò ut & ipse de Dei unius existentia dubitare non horruerit. Exinde in scelera horribilissima lapsus est. Adultâ æstate in campum progreditur, deponit pileum, chlamydem exuit, stringit gladium, quasi singulari certamine hostem petiturus. Facinus audet, quod commemorari absque horrore non potest. Deum ipsum lingvâ nefandâ ad pugnam provocat; cum hoc, si quis in cœlo sit, congredi statuit. Horret calamus blasphemas recensere voces. Fulmi-

 na ex-

na expectasses, aut aperta tartara, aut si quid hîs terrificum magis. Alia omnia. Labitur e cœlo schedula, in qua exaratæ hæ voces erant: Miserere mei Deus! legit Scripturam impius, & illico in alium mutatus intimîs se præcordiîs ad agnoscendum Deum placandumque moveri sensit: exosculatur millies literas, ponit genua, funditur in lacrymas, solvitur in gemitus, ingeminans unum illud. Peccavi: Miserere Deus! Sic noctem totam exigit: Inde vitam impiam expians, sanctam inchoavit; nullam abire horam passus, quâ non infinitam Dei in se bonitatem extolleret. *Pexen.* Verè ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia. Misericordia infinita quem non ad pœnitentiam excitet? non defuêre fulmina, quibûs impietatem tuam mulctaret Deus, misericordia prohibuit. Huic laudes cane: huic gratias age: huic vitam, quam adhuc vivis, totam debes. Poterisne infinitam hanc Dei in te bonitatem posthac etiam offendere?

Nostrâ ætate in urbe quadam Germaniæ ad locum supplicii eductus fuit Adolescens octodecim circiter annos natus. Assueverat is jam à Syntaxi peccato probrosissimo, quo ut securiùs frueretur, alium rei conscium trucidavit: eò scilicet infelix paulatim delapsus fuerat. Memorabiles erant voces, quibûs suam deplo-

rabat

rabat miseriam, dum templum Societatis præteribat; paulo post carnificis manu occidendus: O. S. Ignati! clamabat, O quàm fidelia mihi quàm frequentia per tuos dedisti monita! O utinam iis obtemperassem! ah jam saltem ne me deseras. Ann. S. I. *Casus tragicus totius urbis luctu & lachrymîs spectatus. Sed eò res delabitur, dum contemnuntur monita; dum adhæretur pravo consortio. Studiose lector, obsequere tot illis, quæ jam dantur, monitis: fuge consortia; ne sero nimis si non in hac, certè in altera vita cæcitatem defleas.*

13 Berchmannus hoc fecit indiesque renovavit propositum: Etiam parva magni faciam: etiam pro parvis defectibus magnas mihi pœnitentias injungam. *Ex vita.* Idem tu statue. Qui spernit modica, paulatim decidet. Noli dicere: leve est otium: leve quid somnus superfluus: leve quid irreverentia in templo. Leve quid fuit è quo æterna salus S. Theresiæ pendebat. Leve illud nisi cavisset, periisset.

14. Aloysius adhuc quinquennis inter milites versari coactus varios audiit sermones liberiores, & ignarus eos didicit. Semel ideo à Moderatore reprehensus, & sermonum illorum malitiam edoctus, horruit innocens, & toto vitæ tempore ne vel verbulum simile repetere auditus est, præterquam quod terribilem ideo pœnitentiam in

se susceperit. Idem erroris alicujus, quem tamen non admiserat, monitus flexîs genibûs deprecabatur, gratiasque pro monitione agebat. *Ex vita* O si pari animo superiorum monita exciperes, pari studio expleres! Noli ægrè ferre seu monita, seu minas, seu pœnas. Tuo bono sunt. Legi de Sodali, qui post mortem superiori anteà suo apparens gratias eidem habuit, quòd severiùs habitus fuisset, addens: se hac ratione à via damnationis abductum fuisse.

15. S. Stanislaus, postea Cracoviensis Episcopus, Timeo ajebat, concessa mihi talenta abscondere: statum illum eligam, in quo ea ad Dei gloriam multamque aliorum salutem impendere possim. *Ex vita.* Non absque causa hæc tibi talenta Deus concessit. Rationem exiget Deus: vide, ubi, aut quomodo impendere tutò eadem possis: indies Christum Eucharisticum alloquere verbîs S. Pauli, quibûs usus est Perusinus quidam deliberans: Domine, quid me vis facere? Audiit iste has in animo voces: Permitte te dirigi. Et tibi dictæ hæ sunt: Permitte te dirigi.

16. Anonymus Sodalis Dei Matrem sibi conciliaturus ante aram ejus Voto Castitatis se obligat: dein venam aperit, profluente cruore formulam voti sui exarat, eamque in Lipsanotheca, ceu sui in Mariam amoris

amoris monumentum conservat. *Lechn.* Admirare amoris Mariani ingenium; non imitare, nisi in hoc saltem, ut statuas rem B. Virgini maximè gratam, castitatem scilicet ejus amore illibatam conservare.

17. In Aragonia Sodalis domum impiam ingressus, ut peccaret, vidit in angulo effigiem B. Virginis; subitò peccandi voluptatem perdit & ad fæminam conversus: Quomodo, ait, audes o propudiosa coram tam pura Virgine tam impura flagitia perpetrare? dixit, neque ullis blanditiis ad scelus moveri se passus est. *Sod. Parth.* Tantùm valuit unus unius imaginis intuitus. Intueri tu toties potes B. Virginis effigiem, neque inde ad fugienda peccata incitari? eâ etiam inspectante audes proposita violare? loqui turpia? otiari &c. quô aliquando eam oculô intueberis? Cogita quæso: B. Virgo hæc videt; non audeo.

18. S. Hermannus dum alii ludo aut vanitatibus aliis se recreant, ad templum abit, B. Virginis aræ advolutus preces persolvit. Placuit hoc adeò Virgini pretiosæ, ut Hermannum sæpe ad lusum cum divino suo filiolo invitare, ejus paupertatem oblatâ semper pecuniâ levare voluerit. *Ex vita.* Rati favores initium sumpsêre ex una mortificatione, quâ recreationi se subduxit, tempus illud precibus dedit. O quos tibi fauo-

res Virgo eadem exhiberet, si pari animo otium, & consortia suspecta fugeres; ad studia, ad pietatem te conferres. Imitare.

Juvenis quidam amore aleæ & ludi insaniens, vespere quodam ortâ inter socios lite, ajebat pejerans, invadat me dæmon, nisi res ita se habeat. Mox cubiculum totum intremuit, & tetra umbra ante oculos sociorum oberrans circum parietes, apparuit. Metu propè exanimis in terram cadit juvenis noster. Ad se rediens B. Virginem invocat, vota varia concipit. Nihilominus tetra effigies per cubiculum volitabat; cui crucifixi effigiem & sanctissima nomina apposuere omnes: fugam arripere non poterant. Ergo sic timore & pavore trepidi in lucem usque pugnant; tum enim auditô Angelicæ salutationis signô fatalis umbra evanuit. Attonitos omnes & prope exangues relinquens. Bonif. *Non semper vanæ sunt pejerantium voces: Cave eas; hinc & lusus vetitos cave, quibus annexa semper scelerum multorum, præcipuè blasphemiarum, perjuriorum, mendatiorum catena. Hoc etiam observa: si larva unius stygiæ umbra tanto audacissimos illos implevit terrore, o quis sustinere poterit innumeras in styge terribiles visu formas! illa illa scilicet societas excipiet societatem pravam, cui juvenes plurimi sunt impliciti. Monstra stygia si habere in socios horres, horre suspecta consortia.*

19. Ingolstadiensis mortificandi sui cupidus cum cilicium non suppeteret urticas & spinas ejus loco adhibet. Neapolitanus, uti & ante annos paucos Moguntinus, nonnisi cilicio indutus mori voluit. Antverpiensis Xaverianum factum æmulaturus, lumbos arctè funibus constrinxit. *Sod. Parth.* Ubique & semper in Sodalibus ardor sese mortificandi extitit. An & in te? an delicatula natura horret? Regnum cœlorum vim patitur: violenti rapiunt illud, non delicatuli. Cilicia, flagella, jejunia arma sunt, quibûs defenditur castitas, expugnatur cœlum. Quid ages deinceps?

20. S. Gregorius Nazianzenus ne jurandi consuetudinem contraheret, firmissimam sibi nunquam jurandi legem sanxit, votô etiam firmavit: observavit. *Ex vita.* Modus extirpandi consuetudinem est, votum devotionale facere ad breve saltem tempus. Utere hoc si serium tibi est te emendare; non tamen nisi de Confessarii consilio.

21. Moguntinus Sodalis erat, qui vesperi de more conscientiam examinans, & admissa per diem peccata detestans ajebat: o Deus, prævides fore tempus, quô te Deum meum vel semel adhuc offensurus sum; potius jam me permitte mori in gratia tua, quàm ut infelix illud tempus vivendo attingam. Ratum habere visus est Deus hoc pi-

iſſimi juvenis deſiderium: Pauculas poſt hebdomadas piiſſimè moritur innocens *Ann. S. J.* Vitam minoris ducere ac peccatum; mori malle quàm peccare ſignum veri amoris eſt. Quanti tu peccatum facis? an paratus es mori potiùs? verbô dicis forrtalſis; ſed non factô. Si ſerium tibi eſt cur non fugis conſuetudines illas, otium illudetur.

22. S. Ioannes Damaſcenus juſſu Tyranni dexteram manum in defendendis imaginibus occupatam amiſerat: ſed eandem amputatam dum B. Virgini, coram cujus ſtatua orabat, exhibet, mirabiliter recipit ſanam & incolumem: Quô motus prodigiô majore fervore Dei, & B. Virginis cultum promovit. *Ex vita.* Amat B. Virgo eos & prodigiosè etiam protegit, qui membra honori Mariano impendunt. Cui tu manum tuam impendis? an pietati an ſceleri? taceo, quære conſcientiam. Linguam cujus honori donas? pedes? oculos? examina te, & à Maria ſi vis protegi, noli membrîs tuîs adeo probroſè abuti. Statue hodie emendationem.

23. Oenipontanus Sodalis Cœtum Marianum more ſuo acceſſurus à ſociis aliàs amicis avocatur. Negat, ut par erat, hoc ſe facturum. Minantur illi, niſi obſequeretur, amici loco non habendum eſſe ulteriùs: tum verò hic dignam Sodali vocem hanc protulit:

tulit: Ergo tantò impensiùs Mariam colam, ut, si vos me deseratis illa me defendat. *Sod. Parth* Quàm vellem intelligerent hoc omnes & imitarentur! Imitare tu; desere, contemne amicitiam hominum si hæc haberi non potest aut conservari, nisi offendatur Deus, deseratur B. Virgo, aut aliquid ex utriusque cultu minuatur. Dei, B. Virginis amicitiam quære, adeundo solicitè cœtus Marianos, fugiendo peccata, assistendo sacris &c. Unius Virginis amicitia plus tibi, ac universi mundi favor proderit.

24. Adolescens Machabæus alter è septē illis, de quibus scriptura habet, ad legem Dei violandam invitatus, propositîs licet tormentîs terrificîs renuit inquiens Antiocho: Rex mundi (Deus) defunctos nos pro suis legibus in æternæ vitæ resurrectione suscitabit. *Ex lib. Machab.* Constantiam hanc futuræ mercedis memoria impetravit. Et tibi mercedem eandem concedet Deus. Constans itaque esto in propositis.

Adolescens sanctiorem vitam acturus cœnobium intraverat. Accidit, ut cuculum crebriùs extra cellam suam cantantem audiret. Vices interruptæ vocis memorat viginti duas; ex his totidem se annis victurum adhuc esse stultissimè auguratus! eja inquiebat: cur tanto me tempore mortificem? viginti annos deliciis dabo; duos postremos Deo & pœnitentiæ. Dixit, & sæculum repetiit, nullo non deliciarum vetita-

rum genere fruiturus. Verùm ô fallaces impiorum spes? Annos duos necdum expleverat, & justô Dei judiciô in ipsis, quibus fruebatur deliciis, morte repentinâ rapitur ad æternitatem infelicem. Pexenf. *Vade & longævos tibi annos pollicere; emendationem differ. Studiose forte & tu spe simili lactaris; cur enim aliàs liberè adeo viveres? mitte quæso spem istam pessimam; quæ jam innumeros deturbavit ad stygem. Spes ejus ait scriptura frustrabitur eum, & videntibûs cunctîs præcipitabitur Multos tibi annos spondes, & quis scit, an vel unus supersit, fac autem superesse & multos: an dignus non est Deus, cui mille etiam annis servias? Incerta est ætas futura, elige quod certum est; Jam vive bene; jam emendationem auspicare. Fortis licet & vegetus sis; nulla satis magna securitas, ubi periclitatur æternitas.*

25. Petrus de Morono sæpe sic matrem suam allocutus est: bonus Dei servus esse cupio. Sæpe B. Virginis statuæ adhuc puerulus advolvitur: sæpe Angelos habuit instructores: si quid puerili more cum sociis peccaverat, ab iisdem Angelis suaviter correptus procul ab errore illo repetendo abfuit. Ut pericula peccandi fugeret, eremũ petiit: tentationes castitati adversas ciliciis & jejuniis oppressit; ideòque ab Angelis frequenter alloquiô & cibîs recreatus. *Spec. Juv.* Innocentia, amor castitatis, odium

peccati

peccati B. Virginem & Angelos tibi concilliant. His ſtude hodie præſertim.

26. Ingolſtadii Sodalis æger Religionis votum concipit. Redditus mox ſanitati implere tardat. Sub menſis initium in ſchedula Patroni Menſtrui hæc ei obtingit ſententia: Quid tardas ipſum, quem jam dudum conceperas ſpiritum parturire ſalutis? quomodo vivere audes, ubi mori non audes! ſibi hoc dictum ratus votum implet, Religionem ingreditur. *Roſignol.* Imitare in hoc, quæ tibi obtingit ſententia, divino obtingit conſiliô. Eam imple. Diſplicet Deo tardare in implendis propoſitis. Quære etiã ex te, an mori in ſtatu hoc velis? ſi non? quomodo in eô vivere audes?

27. Dilinganus Sodalis ad comedendas die prohibito carnes invitatus, memor divinæ legis fortiter renuit. Dicenti verò alteri, rem parvam eſſe, reſpondit: nec ſanè pomum grande fuit, ob cujus eſum primi parentes paradiſo expulſi ſunt. *Zechn.* Nihil ſcilicet levi cenſuit contemnendum, cum è levi etiam ſæpe graviſſima oriantur. Cave, cave unquam inducas in animum leve quid eſſe, quod à Deo prohibitum eſt. Ad interitum rectà tendis ſi levia contemnas.

28. Ioſaphat Regis Indorum filius graviſſimè contra Caſtitatem tentatus, antequam conſentiret, deliberabundus hæſit: ad ora-

tionem confugit: mox sopore opprimitur: objicitur ei in somno è parte una hortus amœnissimus omni deliciarum genere plenus; ex altera barathrum infernale: expergectus omnem turpitudinis voluptatem advertit extinctam. *Damasc.* Infernus in somno repræsentatus adolescentem hunc à peccandi proposito maximè absterruit; ferro duriores, si iste te non moverit. Utut vehemens sit tentatio ad peccatum quodvis, cogita tartara certò subeunda: & peccati voluptas evanescet. Time tartara!

29. In Hispania juvenis vitam omnibûs sceleribûs contaminatam vixerat: eò impietatis delapsus, ut id studiosè ageret, quod Deo maximè displiceret. Nullam ille cogitationem de vita in melius mutanda suscipere, nullum sustinere monitorem, nullam cœli aut inferorum mentionem ferre. Toto impetu ruentem ad Tartara, Mater misericordiæ sustentabat, pauculîs impii obsequiîs (quotidianâ salutationis angelicæ recitatione) devincta; uti ipse postea fassus est, nihil à se aliud sanctum piumque factū esse. Maria igitur de nocte quiescenti impio apparet, conjectisque in eum oculis admirabili modestiâ, & miserationis affectu plenîs interim evanescit. Ex uno hoc oculorum perstrictu totam vitæ præteritæ rationem clarè adeò distinctèque perspexit, ut

ex

ex peccatis numero, & gravitate penè infinitis, ingentem & animo dolorem, & oculis fletum cieret! Confusionem & pudorē generosè vincens primo mane sacerdotem adit, peccata vitæ totius in ejus sinum, & aures deponit, mirabile exinde solatium hauriens, vitam totam in laudanda Matris Virginis, Deique optimi clementia, consumpsit. *Ann. S. J.* O illos suos misericordes oculos, & ad te convertat clemens, pia & dulcis Virgo Maria! roga, ut id faciat. Si jam fecit, gratias age; & matri clementissimæ totum te offer ut mancipium. Nullus abeat dies, quo eam invocare & honorare non satagas.

30. Adolphus adolescens in primo flore moriturus, horrendas patiebatur in suprema illa hora angustias: ergo ad B. Virginem quam in dies antea coluerat, conversus, ferventissimè ejus opem inclamat. Adfuit illa, & suavissimîs verbîs eum compellans ajebat. Adolphe quid times? mater tua sum. Cessit timor omnis, quietissimè exspirat. *Man. Sod.* O voces amabiles! Mater tua sum. Desideras eas aliquando audire mi studiose? esto jam Mariæ filius, & erit illa tibi mater. Filius honorat matrem, abstinet ab iis quæ displicent matri. Hoc fac: abstine ab illa consuetudine &c. Erit mater tua: Morieris felix.

In Sicilia ſtudioſus quidam nimiâ familiaritate verſabatur cum quadam impia. Sæpe conſuetudinem ejuravit; identidem ad locum ejuratum reverſus. Sangvinem miſerat die quodam infelix: domum ſcelerum conſciam præterit: invitatur: intrat: peccat: dormit, & ecce præſentem Dei vindictam! ſolvitur in ſomno faſcia, quâ vena fuerat obligata: erumpit cruor omnis, fugit anima à dormiente. Evigilavit miſer inter Tartara Iuvenem ſecuta eſt & puella, quæ viſo triſti ſpectaculo ferrum ſibi adegit per viſcera, habitura in Tartaro ſocium tormentorum, quem habuerat & ſcelerum. Ann. S. 1. *Non irridetur Deus. Tardat tardat, quia clemens eſt, ſed ferit terribiliter, quia juſtus eſt. Pepercit tibi hactenus, mi ſtudioſe, Deus, oſtendit miſericordiam. Quis ſcit an non primum, quod admittes peccatum, futurum ſit & ultimum. Non credis adoleſcentem illum ſeriò cogitâſſe, propinquum adeò ſibi eſſe exitium? alia omnia cogitavit: sed quo minimè credidit tempore, ſecutus ultor à tergo Deus detruſit eum ad Tartara. Te ne ſocium habeat, cave.*

Anni Sancti Mensis Quintus

Majus

Majus.

1. JOannes Berchmannus notæ innocentiæ adolescens, sub cujusvis mensis initium diem sibi elegit, quem totum sacræ Recollectioni dabat; examinans vitam elapso mense actam; notans, quæ sequenti mense vitanda, quæ agenda forent; quæ devotiones persolvendæ; renovans fervorem erga B Virginem & Sanctos. *Ex vita.* Si ullum est salutis medium, quod præter alia commendatum tibi cupio, hoc certè est. Utere illo, fructus existet ingens. An nimiùm est diem unicum mensis Deo dare & animæ?

2. Idem piissimus adolescens duo sibi studioso spectanda esse asserebat: primum, ut proficeret in virtute; alterum ut in literis. In duo hæc toto animo incubuit. *Ex vita.* Imitare. Væ tibi, si relictîs istîs quæ nescio alia moliaris. Quam Deo rationem dabis, qui alia omnia spectas?

3. Anonymus Sodalis anno ætatis quintô in scelus aliquod lapsus fuerat. In eo ad decimumoctavum usque hæsit infelix: emendationis consilium omne abjecit. Suasit ei interea sacerdos quidam, ut B. Virgini se indies commendaret. Fecit quo potuit affectu. Secuta est emendatio admirabilis;

Fassus

Fassus postea fuit sacerdoti, totum hoc se B. Virgini debere. Ex quo enim, ajebat, venerari B. Virginem cœpi, & medicinam pro consuetudine mea rogare, adverti homines illos, quorum consuetudine gaudebam & scelere, mei planè pertæsos. Consortiô hoc liberatus facilè consuetudinem emendavi, peccata ritè confessus constans permansi. *Ann. S. J.* Ecce emendari potest consuetudo, licet diuturna; modò adsit voluntas seria. Cole B. Virginem; eam roga, ut scelerum tuorum agnitionem impetret & horrorem: Orationi laborem junge & conatum. Hæc si negligis, quam aliquando excusationem afferes ad tribunal judicis?

4. S. Rupertus principum sangvine oriundus, intelligens, quanta è pravo consortio damna orientur, statuit B. Alexii exemplo domum paternam deserere, in qua necessariam cum aliquibus conversationem timebat. Placuit Deo servandæ cura innocentiæ. Contentus enim pio juvenis consilio maturâ & suavi morte tot periculis eum exemit, atque ad securitatem beatam evocavit. *Spec. Juv* In hoc imitare. Fuge consortium suspectum. Actum est de innocentia tua, si in hoc negligens es. O quæ audivisti! quæ locutus es! quæ didicisti aut fecisti, quorum ne cogitatio quidem à te fuisset habita, si

à malo

à malo illo socio abfuisses. Sape damno tuo.

5. B. Fanciscus Regis S. I. nunquam vel leviter in lubrica licet ætate primâ mentitus fuit. Tanti autem mendacium leve æstimabat, ut cuidam Domino diceret; Domine, nec pro totius mundi bono oportet vel leviter mentiri. *Ex vita.* Impetret utinam tibi sanctus iste tantum peccati hujus & cujusvis alterius horrorem! O quantillum est sæpe, cujus gratiâ non unum, sed plurima proferre audes mendacia. Et utinam non ut leve quid ea contemneres! Alius Sanctorum sensus hac in re extitit. Imitare, & ex hodierno die novum concipe propositum mendacium etiam levissimum seriò fugiendi.

6. Septimus è Machabæis illis parvulis heroibus à matre animatus, ut cœlum respiceret, mercedem constantiæ cogitaret; fortissimè renuit obsequi Tyranno impio ad violandam Dei legem inducere volenti. Voces ejus erant: Non obedio præcepto Regis, sed præcepto legis, quæ data est nobis per Moysen: Tu verò (sic Antiochum allocutus est) qui inventor omnis malitiæ factus es, non effugies manum Dei. Nondum omnipotentis & omnia inspicientis Dei judicium effugisti. Pari animi magnitudine mortem obiit. *Ex 2. Mach.* Constantiam disce, quâ resistere debeas sociis ad peccatum te invitantibus, aut dæmoni tentanti. Verba ultima

ma attende, quibûs se parvulus Heros excitabat, memoriâ scilicet præsentis ubique, omnia videntis, omnia punientis Dei.

Studiosi duo magna inter se familiaritate conjuncti vivebant: quorum alter detractionibus mirum assuetus, varias variorum nominibus maculas asperserat, quin eas delere denuo laboraret. Morbo fatali prostratus nullam pœnitentiæ mentionem fieri voluit, sed infelix nullô sacramentô munitus è vita migravit. Paulo post, socio suo apparens æternùm se damnatum esse asseruit, eo quòd multæ animæ, quarum famæ detraxerat, coram tribunali divino vindictam petierint & ultionem; quarum vocibus commotus divinus judex æternæ tulerit damnationis sententiam Flor. Exemp. *Breve, sed revera tragicum exemplum. Time tam noxium, quàm familiare vitium detractionis. Sed & intellige, quos aliquando accusatores habiturus sis coram tribunali divino. Animæ illæ, quas jam sive verbô sive exemplô ad peccatum inducere non exhorrescis, ô quam vindictam à justo judice petent! illæ, illæ erunt quæ adversum te insurgent, contra te clamabunt, te ad stygem deposcent. Time, obsecro, dum vivis, time alium quovis modo scandalizare. Vox Dei est: sanguinem ejus de manu tua requiram. Res tremenda est, alium seducere.*

7. S. Casimirus rarissimum virtutis omnis, quam

quam in juvene desiderat Deus, exemplar duo habuit media, quibûs impetravit, ut inter Regales delicias (sic Ecclesia loquitur) & mundi illecebras illæsus persisteret; constans nempe mortificationis studium; constantem B. Virginis cultum. Hanc in dies manè colebat hymnô illô à se compositô: Omni die dic Mariæ &c. huic se commendabat indies. Hunc imitati sunt innumeri. Berchmannus in dies formulam Marianam renovabat, ut & pium erga B. Virginem animum testaretur, & ejus præsidium in tentationibus exoraret. Oenipontanus quidam manè excitatus frontem signabat cruce, ne quid cogitaret nisi de Deo; labia, ne quôd loquerentur, quo Deus offenderetur; pectus, ne amaret nisi Iesum & Mariam. *Ex vita & Ann. S. J.* Sic manè muniti Sancti & Pii juvenes in Arenam progrediuntur, feliciter cum dæmone pugnaturi; quia tanto confisi patrocinio. Imitare.

8. Fuldæ Anno 1608. Adolescens memoriæ parum felicis, suadente ita Magistro ad B. Virginem confugit, vota in ejus honorem varia concipit; & ecce breve intra tempus non sine aliorum stupore miram memoriæ felicitatem expertus est, & progressum in scientiis. Veldkirchensis quidam studiosus dum studia nil quidquam sibi è voto succedere advertit, pudore actus & desperati-

one

one in campum egreditur, dæmonem Orco evocaturus, ut ferret auxilium, quod aliunde non ſuppetere videbatur. Iam in campo comparuerat, jam locum ſceleri idoneum quærebat: cum ecce hæc repente adeſt cogitatio: Cur ad Mariam te non confers? hæret ad hoc nonnihil, & interno actus ſpiritu ad urbem redit, Confeſſario rem exponit, B Virginem implorat, à qua quem optabat progreſſum brevi obtinuit. *Ann. S. J.* Præſes ſtudioſæ juventutis, ſedes ſapientiæ eſt Maria: hanc in ſtudiis invoca. Laborem orationi junge. Exaudiet te, niſi ſalus tua aliud poſtulet.

9. B. Aloyſius in minimis etiam rebus ſe vincere laborabat. Hinc florem vel aliud odoriferum quid nunquam manu tenere notatus fuit, Cibos delicatiores aut ne tetigit quidem, aut ſtudiosè amariores reddebat: pharmaca tardè ſorbillans ſumebat, ut tantò diutiùs ſua eſſet guſtui moleſtia. *Ex vita.* Sic ſancti in omnem occaſionem Deo placendi, ſuamque augendi gloriam intenti ſunt. An ſimiles tibi occaſiones deſunt? quid illa florum, illa odorum vanitas? An bolum unum alterumve magis arridentem guſtui prohibere res dura nimium? Hodie vide, qua in re te vincas.

10. S. Petrus Damiani conſideratâ honorum, quos ſibi parari viderat, vanitate ſic ſecum

fecum: Quid ago? an ego caducis his & perituris perpetuo inhæream? quin potius iis valedicens sola cœlestia sector? B. Stanislaus S. I. ideo mundum à se deseri, Religiosum verò statum eligi ajebat, quia solatio esset recordari in morte, quod desertîs mundi gaudiîs Deo fideliter servierit; cum simile nihil ab obsequiis mundo præstitis possit expectari. *Ex vita.* Quousque vanitate mundanâ delectaberis? An non tempus est, ut ei valedicas, & divino te mancipes obsequio? Agnosceres hoc utinam & expenderes! quæso te, responde: Quale tibi erit solatium, si recorderis aliquando deliciarum, fortè etiam cum Dei offensa quæsitarum? Si cogites obsequia mundo & hominibus præstita quale solatium? Timeo, ne cum illo Caroli V. famulo ingemiscas: O me infelicem! cur tot annos mortali Domino servivi! O utinam Deo meo servissem fideliùs! Studiose mi: Stanislaum imitare, ea jam age, quæ tibi in hora morris possint esse solatio.

11. Divionensis quidam Sodalis grave peccatum in Confessione diu tacuerat. Adesse ei in somnis visus est dæmon jamjam rapturus ad inferos: tum æstuare miser & opem anxius circumspicere. Offert se illi B. Virgo, & periculo liberat, eâ tamen lege, ut peccatum quantocyus confiteretur,

& ab

& ab eo deinceps abstineret. Sancta omnia promisit & fecit, totus jam factus ad nutus liberatricis suæ. *Lechn.* Tu ubi esses, Studiose mi, nisi Mariana clementia te servâsset. Benedictæ cuidam Florentinæ dixit B. Virgo: Filia, multi sunt damnati, qui minùs peccaverunt, ac tu; imò qui unicum tantum peccatum perpetrarunt. Et hodie, ajebat, miles ob primum contra castitatem peccatum damnabitur: damnabitur & civis in filiorum correctione negligens: damnabitur Parochus in suorum instructione piger: duæ item ex scelerum sociabus hodie à dæmone trucidabuntur. Quin & Puer octo tantùm annos natus hodie ob peccatum turturpissimum submergetur, damnabitur. Sic B Virgo locuta est. Expende hujus in te clementiam, & gratias age. Verùm vult illa, ut peccato illo abstineas. Quid ages?

12. S. Tiburtius Martyr in Christianum hypocritam sic invectus est: Hunc tu Christianum credis, qui caput ornat superbiùs; scapulis molliter gestit; qui fluxum gressum improbo risu distendit; qui fœminas intuetur curiosiùs? nunquam tales pestes Christus dignatus est habere servos suos: Christum imitari, Christianum esse est. Ego imitabor, ut Christianus sim. Sic ille. Imitatus etiam fuit tum vitâ sanctâ, tum morte generosè obitâ pro fide. *Spec. Juv.* An Christianus es,

Studiosè mi? an Sodalis magnæ Virginis? Hodie quære conscientiam tuam. Vide qua in re Christum aut Virginem Matrem imitari posthac velis.

In Aragonia Iuvenis à vita impia abductus domum impiam à Confessario prohibitam accedere ausus est. Vix primo in limine pedem figere cœpit; quo nescio pacto tectum corruit, juvenem gravissimè læsit. In valle Arnensi chorearum & lusuum petulantia per Missionarios fuerat coercita, & propè sublata. Iuvenis nonnemo eam denuo sui similibus die quodam persuasit. Temeritatem secuta est eo adhuc die mors, inimici manu illata. In Urbe Panamensi fuit, qui è via salutis, quam tenere cœperat, ad scelera reversus, sæpius à Confessario, ut caveret, monitus est. Interrogatus ab hoc semel, quo loco res ejus essent? respondit mendax: optimo. Necdum elapso dein octiduo in ejus ipsius persona, quacum impiè vixerat, sinu, animam scelestam evomuit. Ann. S. I. *Duo disce.* 1. *Non vana semper sunt Sacerdotum monita, non irritæ minæ. Contemptum vindicat Deus, cujus Vicarios agunt. Et audebis posthac repetere domum illam, occasionem à Confessario interdictam? audes consuetudini illi turpi inhærere? Time! sudor ille Concionatorum, Confessariorum labor, Magistrorum cura vindictam clamabit contra te. Neque voces has contemnet Deus.*

2. *Abomi-*

2. *Abominatio est coram oculis Dei homo à vita sancta ad impiam reversus. Qui transgreditur à justitia ad peccatum, ait Scriptura, Deus paravit eum ad romphæam, hoc est, ad vindictam, ad tartara. Habes cur timeas, si ex eorum numero es, qui facta vix Confessione ad ejurata modo peccata revertuntur. Pepercit tibi hactenus Deus, & tot pepercit vicibus: dedit veniam· fortè, cum primùm peccabis, in furore te puniet.*

13. Dolanus quidam sodalis morbô per septimanam domi tenebatur. Aderat dies, quo Sodalitas consueta celebrabatur. Tum ille: Egone, ajebat, cæteris ad colendam Virginem confluentibus hic decumbam & otiabor iners; hæc dicens vires colligit, surgit, ad cætum Marianum abit, morbô omni liberatur. *Sod. Parth.* Placuit B. Virgini fervor in adeundo cœtu Mariano; displiceat igitur necesse est tepiditas. Ne dubita, gressum omnem remuneratur Virgo. Ex dæmonis sensu loquitur, qui cætûs Mariani accessionem dissuadet. Lovanii certè cum Sacerdos quidam dæmonem in obsesso adjuraret, eiq; Mariano nomine armatus liberè insultaret; sic ex obsesso dæmon loqui auditus est. Nimis tu quidem audax es: nimios tibi spiritus Domina tua (B. Virgo) facit, quod ei duodecim annos servieris. Scio tamen, quod anni septem sint, cum tu vo-

luisti

luisti excedere Sodalitio: & utinam fecisses! Ecce quid optet, quid suadeat dæmon. Non suaderet, nisi sibi proficuum, homini noxium esse sciret.

14. S. Gregorius Nazianzenus studiis vacans teste S. Basilio, duas tantùm notas habuit vias, unam ad templum, ad scholam verò alteram. *Ex vita.* Aliæ utinam viæ tibi ignotæ essent; præcipuè illæ, quibûs itur ad cauponas, ad domos suspectas, loca illicita, consortia mala; hoc est ad peccatum, ad perditionem, ad Tartara. Lata est hæc via: multi ambulant per eam, hinc multi pereunt. Tu fac declines à semita ejusscemodi, cujus novissima ducunt ad interitum.

15. S. Richardus postea Episcopus à vanis & ludicris spectaculis adeò abhorruit, ut nullis sociorum precibûs ad ea se deduci passus sit. Tantô autem ferebatur discendi desideriô, ut nullam ferme corporis curam haberet, cætera neglexisse omnia videretur. *Ex vita.* Duo habes, quæ imiteris. 1. Profana spectacula cave accedas. Raró absque læsa conscientia reditur. Experti luxerunt multi. Alipius, teste S. Augustino, spectaculo uno totus à se mutatus domum reversus est. 2. Studiis animum seriò applica. Exigit hoc vocatio tua: exigunt Parentum sumptus. Time terribilem quam Deus exi-

 get,

get, rationem. Vindictam clamabit Superiorum labor, Parentum cura & sumptus, vindictam petent innumeri alii, qui hac occasione meliùs usi fuissent, si eis concessa à Deo extitisset.

16. Recineti sodalis ab inimico pessimè mulctatus, licet hortarentur alii, ut vindidictam sumeret, id tamen constanter recusabat. Præsidi ajebat: fuit vehemens animus ulciscendi, sed una Dei Matris charitas me retinuit. Huic ego injuriam dono: exuo apud te ferrum in conciliatæ gratiæ signum, & contemptæ ultionis indicium. Alius Vallisoleti similem passus injuriam, sic secum loquebatur, sceleribus meis graviora debentur; interim hoc feram. Marsalensis saxum jam sustulerat, ut illatā injuriam ulcisceretur: cum hæc occurrit cogitatio: Christiani officium est accipere potiùs, quàm facere injuriam. Mox pedibus inimici advolvitur, eosque exosculatur. *Sod. Parth.* Quæ tua est in rebus levissimis patientia? non is certè es, cujus sceleribus graviora non debeantur. Patere ergo quæ occurrunt levia. Primum juvenem divinæ Matris charitas retinuit à vindicta. Retineat & te à peccato illo.... à consuetudine illa & domo... si vehemens est tentatio, B. Virgini hanc dona victoriam. Tertium Christiani officii memoria movit. Quid non efficeret in te

cogitatio

cogitatio hæc: Officium Christiani, Studiosi, Sodalis, aliud requirit: aliud exigit officium hominis, qui vel unius peccati gravis à se admissi meminit. Hæc cogita, dum tentaris ad otium; ad consortia, ad peccatū.

17. S. Stanislaus & B. Aloysius Patrum suorum cæcitatem sæpe doplorabant: Ille quidem, quòd Patrem haberet pulus de propagatione stemmatis, ac cœlo & salute, ut videbatur, solicitum. Iste, quod peritura æternis anteponi, multum temporis ludendo perdi à Parente suo, videret. Uterque varias in se mortificationes suscepit, ut Divinam averteret iram, & aliam à cælo mentem obtineret. *Ex vita.* Deplora & tu non tam aliorum, quàm tuam ipsius hac in re cæcitatem, Statue salutem tuam curare ferventiùs: de præteritis autem Contritionem frequenter elice.

18. S. Antonius postea Abbas audiens ex Evangelio illud Christi: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & sequere me. Sibi hoc dictum putans abijt, & ad literam Christi voluntatem implevit. *Spec: Juv.* Quod in Concione, in Evangelio, in monitionibus audies, tibi dictum puta illud implere satage.

Thomas Cantipratanus refert fuisse adolescentes duos Studiosos, qui non modò correctiones Magistri detrectabant, sed & alios ad

inobedientiam & consueta alia vitia instigabant. Cum ecce tibi! congregatis vice quadam omnibus in medio scholæ dæmon apparet; trucique vultu in binos illos adolescentes insurgens, virgâ, quam manu tenebat horrificam, mortem eis intentans evanuit. Impii duo pavore in rabiem acti post dies pauculos obierunt, experturi supplicium longè tetrius, & quidem sempiternum. Daurolt. *Fidemne apud te invenit historia hæc? Audi quid author hanc narrans subjungat: Ex his, ait, Scholares nostri Divinum advertant judicium, Magistris suis discant subesse; discant correctionem meritam non refugere; ne eis contingat sub virga ferrea postea vapulare. Ita ille. Contemnis tu proculdubio insolentias tales, aliaque in scholis perperam fieri solita: non contemnit Deus. Vindictam hic sumet de injuriis Magistro illatis, de execrationibus, quas in eum evomis, dum fortè necessariam correctionem adhibet; de insolentia aliisque similibus. Disce jam correctioni humanæ te subjicere, ne subjici cogaris Divinæ. Quam Magister adhibet correctionem amor salutis tuæ, non verò ut dicis, odium aut aversatio extorquet. Erit dies, cum videbis, uter te plus dilexerit, an Magister errores tuos clementi sævitiâ corrigens; an parens tuus aut tua, errores crudeli clementiâ condonans.*

19. B. Stanislaus terrena omnia generosâ mente fastidiens, solùm fini ultimo obtinendo

btinendo intentus, sæpe exclamabat: Non ad terrenâ, sed æterna natus sum: his vivam. *Ex vita.* Imitare: Animum tuum sæpe ad cœlum eleva: illuc labores tuos scholasticos dirige, illud spectet deliberatio tua.

20. Thomas Kempensis à teneris B. Virginem ut Matrem venerabatur indies. Paulò post fervor iste multùm remittere cœpit & languere. Nocte quadam dormienti hæc offertur visio: Media in schola sibi cum cæteris versari videbatur. Delapsa cælo Virgo Sanctissima suavissimo vultu singulis arridens, tenerrimè unum ex alio amplexabatur. Parem & sibi favorem pollicitus est Thomas. Sed ad hunc cum Virgo respiceret, severa hac voce eum compellabat: Frustra meum tibi complexum spondes, qui consuetudinis pristinæ immemor nihil fervoris pristini retines. Quo abierunt preces illæ tuæ? ubi fervor? ubi pietas, quâ me ut Matrem colebas? dixit hæc, & averso atque indignante vultu discedens, addit: Abi, & tali te solatiô indignum scito. Vidit hæc Thomas in somno, & ad se reversus toporem excussit, mundo valedixit, priore fervore B. Virginem coluit, vixit sanctè, sanctè mortuus. *Ex vita.* Si B Virginis favorem frustra expectat ille, qui tepidus solùm in cultu ejus deprehenditur, quid ille speret, qui offendere etiam audet toties; toties membra

in ejus honorem oblata quo nescio modo inquinare? Renova fervorem tuum: peccata fuge, ne morienti tibi dicat: Abi; auxiliô meô indignus es.

21. B. Franciscus Regis contubernales suos ad frequentem libri spiritualis lectionem permovit, etiam tempore prandii; ne sermonibus aliis locus esset. Berchmannus indies mediam horam dedit Lectioni sacræ; qui conversionem suam adscripsit lectioni vitæ B. Aloysii. *Ex vita.* O si tua à te hoc impetraret utilitas ut diebûs Festîs saltem & Dominicîs quadrantem unum rei adeo sacræ impenderes. Quantum quæso temporis datur legendis fortè iis, quæ nec utilitas approbat, nec castitas! tempus deesse dices? Francisco non defuit: mille aliis non deest hodiedum? quin nec tibi pro lusu, pro ambulationibus deest. Scilicet vacat tibi, ut Philosophus sis, non ut Christianus; ajebat S. Paulinus. Vacat tibi, ut ludas, ut otieris, garrias etiam impia; ut animam cures, non vacat. Sed quid ad hoc conscientia tua? A Francisco etiam disce cautus esse tempore prandii in loquelis.

22. S. Rembertus postea Archiepiscopus Bremensis pueriles omnes lusus devitabat, & mirâ modestiâ omnibus prælucens eo legitur jam primis annis incubuisse, ut ad mortem sanctam se disponeret. *Spec. Juv.*

An

An præmatura hæc tibi cura videtur? Erras, Studiose mi: semel morimur: tota vita præparatio esse deberet ad negotium hoc momenti maximi. Vivis fortè, quàm nescio longævam tibi ætatem promittens, & præparationem pro felici morte in futuros annos differens; & quis novit, an non annus postremus tibi fluat? quam tibi mortem spondes? Fuit juvenis, qui vanitati totus immersus, dum die quodam vestes induit amicos visitaturus, repente apoplexiâ tactus expiravit hoc unum ejulans: Misella anima quò ibis? Quo ibit tua, si nulla adsit præparatio? Obsequere quæso: solicitus esto pro hora mortis: sæpiùs jam elice actus, quos tunc optas elicere, ut iis assuescas. Agitur tota æternitas tua.

23. Mexicanus adolescens inter Sodales adlegi rogabat. Distulit diu Præses; demum ait: Non decere inter Sodales spectari cincinnatulum (Vanitatem in cincinnis nutriverat adolescens) mox ille: si hoc unum obstat, facilè, impedimentum tollam. Tum flectit genua cincinnos tantopere dilectos resecat *Sod. Parth.* Hoc egit, ut totum se Virgini consecraret. Nihil superesse voluit, quod signum esse posset, se necdum perfectum esse B. Virginis famulum. Tu inter Sodales es adlectus, multa fortè habes & agis, quæ Sodalem dedecent. Reseca: ejice,

Quid illud? fortè liber illicitus; cantilena, familiaritas cum altero nimia. B. Virginis Sodalis non es, si hæc à te non projicis. Quid verò ad factum Mexicani sæculum nostrum? ridet, nunquid risus aliorum & dicteria non sibi curanda censuit Sodalis? & bene. Miser es & æternùm eris, si ex aliorum dicteriis & dictaminibus vitam instituas. Contemne. B. Franciscus Regis, dum ludentibus aliis ad templum abibat, ut scrupulosè anxius ridebatur: Turbari se non passus est. Quid Deus dicat & sentiat, vide; non quid mundus.

24. Anonymus quidam pertinacem adeo in scelere quodam consuetudinem contraxerat, ut monenti Patri spirituali diceret: Pater, si reseratos ante me inferos viderem, abstinere peccato hoc non possem; tantùm me vis acerba trahit. Ubi verò Patris consilio obsecutus frequentius sacra Mysteria obire cœpit, & B. Virgini se indies commendare, tantum sceleris ejusdem horrorem in animo suo sensit, ut diceret: Pater, si apertam ante me stygem cernerem, & eam peccati hujus admissione declinare possem; in stygem insilire mallem, quàm horrendô adeò flagitiô Deum denuò offendere. *Ann. S. J.* Ecce paravit Deus media, quibus peccati horrorem concipere possis & conservare; tuum est ea amplecti.

Evoca-

Evocabatur è Patribus nostris nonnemo ad moribundum adolescentem; advolat confestim, sed jam funus exanime reperit. Ergò ad preces pro defuncto fundendas cum præsentibus convertitur. Vix inceperant preces persolvere, moveri in lecto cadaver, levare in altum caput, tragicâ & horrisonâ prorsus voce hæc verba intonare: Heu quàm gravi errore deceptus sum! atque hoc alterâ, & tertiâ vice factum est; quo præsentium horrore quis exprimat? Quid verò illud fuerit, in quo deceptus sit, certò sciri non potest. Existimat Author hæc referens, deceptum esse adolescentem hunc in eo, quòd modica & familiaria adolescentibus vitia contempserit ut levia, exinde ad graviora deductus, perierit. Seelham. *O ô si tantùm unius hæ essent in inferno voces, Studiosorum plurimorum esse eas credo: utinam utinam non sint aliquando tuæ! hac si horâ moriendum esset, an non ingemisceres, heu quàm gravi errore deceptus sum! credidi levia esse quæ admisi peccata; otium, segnitiem, jacturam temporis, &c. heu quàm gravi errore deceptus sum! credidi fore tempus quo Deo servirem sanctiùs, hinc hactenus adeò fui inconstans: sed oheu!*

25. S. Emericus nullô se negotiô impediri passus est, quin officium B. Virginis in dies persolveret. Huic ut similior fieret, Virginitatem ardentissimè coluit. Coactus

sire nuptias, finitô nuptialî epulô ad templum se confert, consuetum B. Virginis Officium recitaturus. Ubi ad verba illa pervenit: Tota pulchra es amica mea: Videt præsentem miræ pulchritudinis Virginem duobûs stipatam Angelîs, quæ sic eum allocuta est: Si adeò pulchram me fateris, cur alteri me postposuisti? cur amores divisisti? nunquid desideriis tuis non sum dignior? Ad hæc Emericus: Fateor, ajebat, pulchrior es, erravi: pænam merui. Sed quid agam? Reposuit Virgo: Si animus tibi non deest, amore mei nuntium illi, cum qua tibi res est, remitte. Obedit Emericus, aulam & sponsam deserit, Italiam petit, vitam monasticam amplectitur. *Spec. Juv.* An non idem tibi Virgo justiùs exprobret? cur me alteri postponis? cur amorem dividis? præ Maria placet tibi socordia, tepor, amicitia prava. Quid ages? agnosce errorem: Deo & Mariæ famulare. Observa illud: Nuntium ei remitte, si animus tibi non deest. Nuntium remitte illi otio, illi consuetudini, illi.... si animus Marianus non deest..

26. B. Aloysius acceptô mortis nuntiô lætus exclamabat: Te Deum laudamus! Imus lætantes! cupio dissolvi. *Ex vita.* Sic loquitur conscientia bona. Huic cœlum patet. Nemo, nisi tu tibi, cœlum claudere potes. Vive cum B. Aloysio, & ejus in-

nocenti-

nocentiam imitare, si mori cum eo desideres. Bene enim dixit Berchmannus cuidam dicenti: Moriatur anima mea morte justorum. Vivat anima tua vitâ justorum, & morietur morte eorum. Mori cum Aloysio non poteris, si cum Epicureo vixeris.

27. Berchmannus acceperat Patronum menstruum cum sententia illa Christi: Videte, vigilate, orate, quia nescitis, quâ horâ Dominus vester venturus sit. Illicò hoc sibi tanquam è cœlo dictum accepit, & sanctè ad mortem se paravit. *Ex vita.* Quas legis in schedula Patroni tui sententias tibi ab Angelo tuo Tutelari dictas crede, & vitam illis congruam age. Non unum modò hac ratione monuit Deus.

28 S. Thomas Aquinas variè tentatus, ut propositum Religiosi statûs abjiceret, eò se induci nunquam est passus, licet vincula, famem, persecutiones diuturnas sustinere cogeretur. S. Stanislaus Patri carceres & vincula minanti, nisi vocationem desereret, reposuit: Et vincula & mortem patiar potiùs, quàm datam Deo fidem fallam. B. Aloysius inauditam prorsus adversus machinas quascunque constantiam in negotio vocationis ostendit. *Ex vita.* Agnovisti fortè vocationem tuam satis apertè; tuum est, nullîs ab ea rationibûs avelli: ne dicat tibi Deus: Vocavi, & renuisti? in interitu tuo

videbo. Constantiam etiam quotidie in eo exhibe, ne datam Deo fidem fallas. Fidem Deo dedisti, quoties in Confessione vel examine emendationem promisisti præcipuè circa fugam consortii illius, vel domûs. Ostende tandem serium tibi fuisse, & constans esto.

29. S. Bernardinus Senensis die quovis Sabbathino in honorem B. Virginis jejunabat; neque ab hac consuetudine, quoad vixit, recessit. Mariam non alio, quàm Amicæ nomine nuncupabat: illam sæpissimè invisebat in sacello; illius statuæ advolutus ferventissimè preces persolvit. *Ex vita.* An etiam tua amica est Beata Virgo? an ejus amicitiam quæris? quod ejus das indicium? ubi Orationes tuæ quotidianæ? visitationes templorum? jejunia? vel maximè ubi peccatorum fuga? si hæc in te signa non notas, noli amicam vocare: si notas, esto constans.

30. Friburgensis Sodalis tentationes inhonestas victurus in crudi senticeti aciem abjectum corpus ad cruorem usque volutabat. Alius rigente hyeme in cumulum nivis se conjecit. Bruntrutanus lurconem ad illicita tentantem inflicto etiam vulnere abegit; ortas verò exinde tentationes superaturus, flumen frigidum ingreditur, collo tenus se aquis immergit; è quibus post duas horas aliorum manibûs ereptus, domum semianimis relatus

est,

est Oenipontanus impuram ardente titione abegit exemplo D. Thomæ: Monacensis verò alapâ & fuste castigavit. Landishutanus periculum evasurus è fenestra alta in plateam desiliit. Moguntinus semetipsum vulnerando socios in fugam & horrorem conjecit. *Ann. S. J.* Quid aliud olim in Iosepho, Bernardo, Benedicto, aliisque magni nominis Sanctis venerata est Ecclesia? Habet scilicet (Laudes immortali Deo) habet ætas nostra Iosephos, habet Bernardos suos, habet invictos pro castitate athletas; quibus una castitas in amore & cura est; quam vel periculo & jacturâ vitæ tueri gloriosum judicant. Cur toties de hac materia? Cuperem tibi, Studiose mi Angelicæ virtutis amorem imprimere & singularem, & perpetuum. Scio: nulli virtuti æquè insidiatur dæmon, ac Castitati. Hanc si juveni eripuit, jam propè triumphum canit. Tu nullam majore studio conserva. Nullum mortificationis genus refuge. Castitas res est, cujus pretium terra ignorat. Hanc si servas, novum Angelis gratulabor socium: salvaberis.

31. Dilinganus quidam sangvine & virtute nobilis, lue lethali correptus, quâ potuit curâ ad luctam supremam se disposuit. Facta Confessione generali, totum se ad implorandum B. Virginis patrocinium convertit, eamque, ut supremæ horæ Præses esse digna-

retur,

retur, rogavit. Adfuit hæc ei, nomenque ejus & aliorum quorundam sodalium libro vitæ aureîs insertum characteribûs exhibuit. Quo visô aliisque non sine singulari animi exultantis solatiô narrato, suavissimè exspiravit. *Sod. Parth.* O quàm felix foret mors nostra, si par nobis polliceri possemus Mariæ patrocinium. Quid agimus? accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam inveniamus in tempore opportuno. Imploremus quotidie clementissimæ Dominæ opem pro hora mortis nostræ.

Adolescens genere nobilis, vitiis, præsertim lasciviâ, familiari Juventutis malo; infamis, hoc tamen indies Deum rogabat, ut nonnisi de morte præmonitus moreretur: Tunc enim ad mortem satis ut se præpararet, tempus fore credidit. Vanæ non fuêre preces. Apparet Angelus oranti, promittit eum sine mortis nuntio non moriturum, animum, tantùm benè adverteret. Sed miser cum securitate audaciam hausit, in omnia jam scelera præceps, de certa futura pœnitentia sibi blandiebatur. Contigit, ut non diu post dolor caput occuparet, inde febris corpus premeret. Suadent amici Confessionem; quibus ille: Infirmitas hæc non est ad mortem; crescente morbo rursus Confessionem ingerunt: æger non abnuere quidem, sed differre tamen voluit, dum convalesceret. Aucto gravissimè morbo monent denuò, sed is vim do-

lorum

lorum causatus tempus magis commodum expectandum esse asserit. Hæc agens, coram videt Tutelarem suum; hic diem horamque mortis denuntiat; jam migrandum esse clamat; esse horam ut Tribunali Divino se sistat juvenis. Attonitus ad fulmen hoc Juvenis, ejulare, vociferari, fidem sibi datam, violatam esse, conqueri. Angelus vero; morbus ajebat, mortis erat prænuntius, nuntius erat & amicorum monitio. Nunc abeundum est, nihil tibi induciarum conceditur: vitæ finis est. Desiit Angelus dicere, & Juvenis infelix vivere; æternum inter inferos spem suam & præsumptionem & procrastinationem deploraturus. Pexenf. *O spes vitæ longioris! ô mortis oblivio! pœnitentiæ dilatio quot adolescentum ruinæ extitistis! ducunt in bonis dies suos futurorum obliti, mortis immemores & in puncto morte repentinâ abrepti, descendunt ad Tartara. Noli spe vitæ longioris peccare aut differre pœnitentiam: spes fallax est. Monitum Spiritûs sancti est: Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ. Bene vixisse ab ætate prima, moriens deflevit nemo. Iam bene vive; serum est tunc velle incipere, cum desinendum est. Ne dicas, ait Scriptura, miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur: Misericordia enim & ira citò ab illo proximant, & in peccatores respicit ira illius. Dicis quod Augustinus in persona juvenis: Homo juvenis*

sum;

sum: facio quod me delectat, & postea pœnitentiam ago. Sed audi eundem respondentem: Hoc est dicere: percutio me gladio crudeli, & postea ad Medicum vado; & nescit, quòd in unius horæ puncto vulnus accipitur, & vix longo tempore ad sanitatem pristinam revocatur. Noli te & animam decipere. Mors incerta est; eam tu paratus expecta.

Anni Sancti Mensis sextus Iunius.

1. IOannes Berchmannus totus in id incubuit, ut B. Aloysium imitaretur: hinc vitam ejus volvebat assiduè. & minimas quasque virtutum actiones in se exprimere conabatur: adeò feliciter finem suum assecutus, ut non alio quàm Aloysii nomine compellaretur. *Ex vita* Renova propositum imitandi sancta piorum Adolescentum & Sodalium exempla, præcipuè ea, quæ ex B. Aloysii vita plura hoc mense proponentur.

2. Beatus Aloysius orationi mirum in modum deditus erat: hanc primo manè orditur: Hanc noctu, tempore etiam frigi-

diſſimo

dissimo continuat; & licet animô deficeret, corpore obrigesceret, nunquam tamen consuetas preces omisit. Orantis verò mira erat modestia. Orationis tempus deliciæ ejus unicæ. Assueverat orationibus adeò ut in angulis sæpè repertus, tantùm angulis diceretur colloqui. *Ex vita.* Multa habes, quæ hic imiteris præcipuè hæc: 1. Matutinas & Vespertinas preces nunquam neglige. 2. Nunquam tædii ullius vel molestiæ metu omitte preces consuetas. 3. Modestiæ sub precibus memento.

3. Miles Adolescens jurandi execrandique consuetudinem contraxerat: Monitus ut eam corrigeret, id sibi impossibile esse respondit. Ergo Sacerdos possibilitatem ostensurus ei ostendit nummum aureum hunc ei promittit, si horâ unâ abstineret ab execratione. Et revera spe nummi hujus abstinuit, licet per castra sociorum militum ductus non unam habuisset execrandi occasionem; agnovit ipse dein nullam suam fore coram Deo excusationem, nisi se emendaret: emendavit. *Segneri.* Agnosce & tu, nihil tibi coram judice tuo, superesse excusationis. Asuevisti peccato alicui! contrariâ consuetudine bonâ corrige.

4. Neapolitanus quidam Sodalis injuriam fratris occisi neque privatim vindicare, neque publico judicio persequi voluit; sed amore

more B. Virginis ita remisit, ut adlegi inter Sodales vellet illum, a quo offensus erat; ne scilicet facilè adeò ad peccandum alliceretur. *Lechn.* Hoc iste egit amore B. Virginis. Potens hoc fuit remedium etiam durissimos peccatorum animos emolliendi. Poteritne & tutum emollire? quid ages amore B. Virginis? an nimium peto, si peto ut amore hujus Patronæ tuæ condones levem fortè injuriam? ut superes molestiam aliquam in surgendo, orando, studendo occurrentem? non amas sanè B. Virginem si hoc ei deneges.

5. Coloniæ juvenis insano puellæ cujusdam Lutheranæ in uxorem ducendæ desideriô tenebatur. Hac cum nonnisi desertâ fide frui posset, pactum nefarium inire non horruit, fidem se deserturum promisit: Ad tantum scelus per minora deductus fuit. Ex quo enim lascivo amore ardere cœpit, devotione omni relictâ, matutinas etiam & vespertinas preces negligere, Sacramenta rariùs frequentare cœpit. Pacto illô nefariô initô domum rediens in B. Virginis effigiem de muro pendulam oculos conjicit, & mirum dictu! tristiorem solito advertit Virginis vultum, quin has percipit in animo voces: Ergone matrem tuam hucusque cultu præcipuo amatam deseres, jam deinceps miser? Pupugit miserum vox ista: Sed aderant,

aderant, qui decretas urgerent nuptias. Bis ſtatuta erat dies, quâ ſuam ad ſponſam contenderet: bis diſponente ita Deo aquis latè ſtagnantibus prohibitus fuit. Interea voces eædem à B. Virgine in animo repeti advertit; quare ut hac ſe monitrice liberaret, imaginem cubiculo excludit. Sed nec ſic excluſa indigniſſimè Dei Mater, ab impio monendo terrendoque prohibita. Repetebat illa voces ſuas, remedium etiam addebat: Vade, confitere! & expugnavit denique obſtinati animum, commovitque, ut peccata omnia expiaret, reſciſſô pactô nefariô ſalutis rationem haberet majorem; nunquàm ſine lachrymis recordans matrem adeò clementem turpiter adeo à ſe deſpectam. *Ann. S. J.* Dubita ſi potes, an Maria ſalutem juvenum quærat: etiam contempta, etiam deſerta, monet, urget, inſtat, emendationem poſtulat. An non eadem circa te & animam tuam egit! quas ei gratias referes? An & deinceps matrem tuam hanc deſeres? illud etiam age, B. Virginis imaginem ob oculos pone, illam in dubiis conſule, illi obtempera. Demum obſerva: à B. Virgine eſt vox: Confitere; à Dæmone eſt: Tarda, differ, morare? cui tu obſequeris? Exemplo alio docuit B. Virgo omnia non modo peccata, ſed etiam tentationes & pericula aperire confeſſario. Hanc tu doctrinam animô tene.

6. B.

6. B. Aloysius librum spiritualem legebat indies, statim imitatione laborans exprimere, quod legerat. *Ex vita.* Imitare saltem in hoc: dies festus, dies dominicus nullus abeat, quo non quadrantem unum des lectioni spirituali. Idem age pridie S. Communionis. Tot horas rebus aliis inutilibus impendis, cur non tantillum animæ tuæ?

Ptolomæus adolescens divino actus spiritu eremum petierat: exactîs aliquot annîs pravô consiliô abductus vitam sanctè cœptam deserit, indulget genio liberè, tempus omne conviviis, lusibus, otio consumit, Monitiones aliorum contemnit, inspirationes internas, quas sensit crebras & vehementes, aspernatur. Tulit Deus impietatem per menses aliquot: inde protervior factus Ptolomæus, in omne jam scelus præceps cœpit ruere, nihil non audere; sed quam distulerat pœnam Deus, tandem inflixit valdè terribilem: Dum scelus novum parat infelix, adest carnifex stygius, miserumque frustra cœlos inferosque execrantem præfocatum, rapit ad Tartara. Spec. Ex *Hunc sortita finem est inconstantia. O studiose, quem tua sortietur, an non & tu cum Deo lusisti abunde! An semper ludere te posse credis? Time, time. Differt non aufert pœnam Deus.*

7. B. Aloysius singulari oculorum modestiâ enituit: per tres annos Imperatricem in dies invisere coactus, nunquam tamen faci-

em

em ejus intuitus est. Demissos semper tenebat oculos, adeò ut quis oculorum ejus color esset, à domesticis etiam nesciretur: quod ipsum etiam de Berchmanno legitur. *Ex Vita.* Oculorum custodia castitatis præsidium est, cave hos in aliorum, præcipuè fœminarum, vultu defigas. Mors per fenestras has, sæpissime intravit. Tentationes innumeras incautus unus oculorum jactus non rarò excitavit.

8. Mexicanus Sodalis post diuturnas quas à muliere passus fuit, tentationes, dulciaria quædam ab ea accipit munusculi loco, Admittit imprudens, eorum pulchritudine captus jamjam ori admovere parat, cum ecce occurrit cogitatio: diem Sabbathi esse, quo in honorem B. Virginis jejunare solebat. Vicit amor B. Virginis: dulciaria in diem alterum servanda cistæ includit, die altero ea sumpturus advertit venenô infecta, jam vitiata, hoc enim quæ fierat mulier impudens, ut vitam extorqueret hac ratione ei, cui pudorem extorquere non poterat. *Sod. Parth.* Periisset miser, nisi amore B. Virginis gulam frænâsset. Vicit is se amore Virginis. An non & similes tibi sunt occasiones, in quibus gulam mortificare possis? jejunium enim suadere vix ausim, ut suscipias: quod tamen ab Aloysio, Stanislao, & omnibus fermè Mariæ clientibus susceptum scimus.

9. Aloy-

9. B Aloysius ut agnitam vocationem tantò feliciùs obtineret, duo hæc adhibuit remedia. 1. Assiduam & quotidianam devotionem erga B. Virginem. 2. Mortificationes in jejuniis. flagellationibus etiam cruentis His ille mediis Deum & Patrem in vota sua flexit. *Ex vita.* Imitare. Non satis est agnoscere vocationem: implenda est. Ut impleas, recurre ad B. Virginem, adhibe preces, mortificationes, &c. Cave, cave communem illum studiosorum errorem quo decepti licere sibi credunt omnia antequam vocationem suam obtineant, Religionem inintrando. Non unus hâc ratione periit.

10. Murciensis sodalis acerrimè tentatus in castitate, ut cogitationibus se liberaret, in campos exiit. Adest Dæmon personatus: causam mœroris quærit. quâ intellectâ ait, nullum se legisse medium præstantius, quam vitam sibimet rapere, offert laqueum, ut tædiorum finem faciat, hortatur. Adolescens: priùs, ait, Confessarium oportet consulere: tum fremere Dæmon, minari varia, denique evanescere. Sodalis ad Confessarium abit, tentationes, & rem omnem edocet, liberatur. *Sod Parth.* Tentationes si quas pateris sincerè aperi. Timet Dæmon manifestari. Pereat pudor, salvetur anima.

11. Adolescens invitis parentibus ad Religionem abierat, revocatur à Patre, eò quod

delicatè

delicatè nutritus Religionis asperitatem ferre non posset. Ille sapientissimè reposuit: vel eam ipsam ob causam Religionem intravi, quia delicatè nimiùm nutritus tormenta inferni ferre non possum, quæ tamen subire cogar, si inter tot sæculi pericula periero: hinc eligo ferre leviora in religione, ne cogar graviora in orco. *Platus* Salubris cogitatio. Studiose mi; mortificationes horres, quia delicatus es! Ah amplectere eas ut evadas tormenta Tartari. Delicatus si es, quomodo feres terribilia illa, & nullo unquàm fine concludenda?

12. Iuvenis quidam de vitio aliquo superando desperabat. Errorem correcturus Deus ostendit ei in somno gigantem immanem, quem jubebatur ab Angelo aggredi, & vincere: Cùm verò juvenis terrore perculsus victoriam sibi esse impossibilem diceret, respondit Angelus, invaderet generosè, se mox auxiliatrices manus esse juncturum; quod & fecit: junctîs ergo viribûs monstrum oppugnatum, victum est, ut disceret juvenis paratum semper esse Dei auxilium, cui si cooperari homo vellet consvetudinem omnē facile posse extirpari: *Vit. PP.* Studiose mi, noli terreri à scelerum vel multitudine, vel enormitate vel diuturnitate, Magno animo aggredere: Extirpabitur consuetudo. Non potes tu solus? at gratia Dei tecum potest:
huic

huic junge robur tuum, & laborem. In Deo meo transgrediar murum, ajebat David. *Tragicum orbi studioso exemplum factus est Ernestus, Ephebus Herbipolensis Principis. Speculum innocentiæ ab initio erat; seductus à consanguinea, detestanda didicit, fecitque. Ipsi etiam Dæmoni demùm se devovit, Magiæ & Veneficiis vacans. Accusatus & emendationis futuræ spe traditus Patribus Societatis, dein & Franciscanis, spem singulorum fefellit, semper abjectîs sacrîs lipsanîs ad dilectas adeò artes magicas conversus. Accusatur denuò, fertur sententia, ferro addicitur, quod & infelix excepit, nullo prorsus doloris editô signô. Fusè lamentabilem eventum refert* Pexenfelder. *Usque eò deducine potest studiosus & quidem innocens ab initio? usque eò ut nullâ habitâ ratione temporalis æternæque pœnæ à peccato non desistat? abhorresce, & pietati tuæ, si quam habes, non confide; unus socius pravus deturbare te potest in abyssum scelerum & tormentorum.*

13. B. Aloysius etiam adhuc puer indies ad aram facienti sacerdoti assistit, nec sine lachrymis, quas tanti consideratio mysterii expressit. *Ex vita.* Imitare. Statos habe dies, quibûs tale Deo Eucharistico obsequium exhibeas, sed reverentiâ eâ, quæ tantum decet mysterium.

14. Godefridus postea Bambergæ & Herbipoli

bipoli Episcopus jussus à moderatore certam domum adire, in qua antea tentatam per improbos castitatem suam noverat, potiùs moriturum se affirmabat, quàm locum illum repeteret; promptum se in cæteris omnibus fore, in hoc uno non posse. *Drexel.* Imitare constantiam in fugienda occasione peccandi: scis locum illum pietati, castitati inimicum; expertus es ibi tentationes; noli repetere. Amans periculum peribis in illo. Idem judica de socio, quem expertus es loquentem turpia, inhonesta suadentem, invitantem ad loca illicita. Aliud si agis, parum abes à lapsu, parum ab interitu.

15 S. Vitus adolescens à Patre ipso ad Christũ deserendũ tum promissis tum minis invitatus. Ego ait, Dæmonibus non assentior; neque sculptilibus venerationem impendo; flocci facio regnum & divitias tuas. *Spec. Juv.* Vox immortalitate digna! tua sit eadem ad socios pravos, ad Dæmonem, aut si quis alius te à Christo, à pietate, à templo à studiis avocat. Nota etiam. S. Vitus ipsum adeò Patrem vocat dæmonem, quia ad peccatum invitando, Dæmonis officium fecerat. Dæmon est & Dæmone deterior ille tibi adeo dilectus Sodalis, quocum otiari, ludere, versari in cauponis, loqui inhonesta, peccare soles.

16. Iuvenis peccator in campos exierat,

confuetæ fuæ vacaturus libidini: Occurrit ei in via Dæmon, cujus nefcio fpeciem mentitus, & ad generosè ita pergendum animavit. Paulo poft & Chriftus Salvator ei videndum fe exhibuit, oftensîsque fanctiffimîs vulneribûs, ut à peccato abftineret, monuit; addens paratum jam effe dæmonem, qui collo infracto animam ad infernum raperet, fi peccatum tale denuo perpetrare præfumeret. Motus Salvatoris bonitate impius, humi proftratus veniam rogat, vitam priorem deflet, cœnobium petit, conftantiùs Deo ferviturus: Sæpiffimè Dei in fe clementiam laudans & extollens. *Spec. Juv.* Lauda & extolle & tu non minorem Dei in te clementiam: Quod necdum hæreas inter inferos, quòd in peccato illo, in illa confuetudine mortuus non fis, Dei clementia eft: non vult mortem tuam; habes, quod gratias agas in dies. An verò & agis? examina vitam tuam. Quid obfecro fecit Deus tuus, ut protervè eum adeò offenderes? Clementia ejus ad vitam bonam te non movet? Iuftitiam time, monet, interiùs in corde tuo clementia Dei, ut abfiftas à loco illo, caupona illa, confortio, peccato illo: pergere fi audes; aderit juftitia divina: hæc jam ftygium paravit fortaffe fatellitem, qui te in fcelere primo obtruncatum ad ignes perpetuos dejiciat. Time.

17. Apud

17. Apud urbem Tabaensem fratres duo pro fide torquebantur: primus dum alterum suppliciô frangi videbat, & ad defectionem inclinare; sic eum allocutus est: Noli, noli frater hoc agere, non ita juravimus Christo: accusabo te, cum ante thronum eius terribilem venerimus. Hîs vocibûs animatus alter, tormenta forti animo ad finem sustinuit. *Spec. Juv.* Imitare constantiam: iisdem ego te verbîs compello: Noli, noli frater ita vivere, non ita promisisti Deo. te ego coram tribunali divino accusabo, si tot labores meos & monita nihil in te profecerint.

18. Sodales tres in campum se contulerant animos quô nescio modô recreaturi. Paulum temporis abierat, subitò densari nubes àër obtenebrescere, mugire cœlum, frequentia inter alternos boatus fulmina discurrere; resonare vox tragica! Feri, feri! cadit fulmen: elisô è sociis unô reliquos omnes metu consternat. Nova inde exaudiri murmura, resonare vox nova: Feri! feri! cadit fulmen, alterum exanimat juvenem. Tertius similia sibi eventura ominans, erectîs in cœlum oculîs: voce supplici Virginem invocat, clamat: sub tuum præsidium, &c. Vix finierat, auditur tertia vox tragica: Feri! feri! Sed aliæ auditæ voces: Non possum quia ad Mariam confugit. Servatus igitur illæsus, Matri Virgini totum se dedicavit, vitam

cœpit sanctissimam. *Pexenf.* An minorem tibi causam esse credis vitam vivendi sanctiorem! O quoties divina intonabat Nemesis: Feri! feri! jam parabatur fulmen impio tuo capiti: Mater gratiæ prohibuit. Age gratias, vitam, quam ei debes, totam ejus nutui consecra.

Adolescens Anonymus animum ad ordinem religiosum adjecerat, sed mundi vanitate abstractus, de die in diem sanctiora consilia distulit. Huic in somnis apparuêre Christus Judex, Sancti Apostoli, Petrus & Iacobus. Judex voce hâc terribili auditus alloqui sanctum Petrum: dele illum de libro Vitæ. Et deletus esset, nisi Sanctus Iacobus adolescentis patrocinium suscipiens, ob cultum quo à juvene honorabatur singularem, iratum judicem à sententia dimovisset. Vidit hæc in somno juvenis & inconstantiam deplorans conceptum vitæ sanctæ propositum implere festinavit. Spec. Exemp. *Dele illum de libro vitæ Vox tremenda! time hanc, si in propositis implendis tardus es & inconstans. Abominabile est in oculis Domini promittere & promissis non stare: proponere & fidem non servare. Ne in te terribilis adeò feratur sententia, constans esto.*

19. Stephanus quidam studiosus multos in sceleribus annos vixerat, Dei hominùmque contemptor: id unum in eo pium remanserat, quòd speciali affectu S. Magdalenam prose-

prosequeretur, cujus festum devotè colebat pridie jejunando, &c. Et hoc salutis occasio ei fuit. Apparens quippè S. Magdalena seriò ad expianda scelera hortata est. Obsecutus Adolescens vitam deinceps sanctam egit: moriens à S. hac Patrona sua invisi & confortari meritus. *Spec. Iuv.* Sanctorū cultum cordi habe, sed eum scito esse optimum, qui conjunctus est fugæ peccati. Amas Patronos tuos? eorum opem desideras? amore eorum fuge hoc aut illud peccatum tibi magis familiare.

20. Josephus Spinellus Adolescens B. Aloysio devotissimus præter alia in honorem hujus pridiè festi B. Aloysii jejunare solebat. Præmium tulit amplissimum. Totò morborum examine obrutus, linguæ, pedum, aliorumque usu destitutus, ad B. Aloysium confugit. Hic sæpiùs eidem apparuit, sanavit eum, stupentibûs omnibûs. Notabile est, quod linguæ usum ei restituens dixerit: Iosephe, vult Deus ut honori suo tuam consecres lingvam laudando eum & benedicendo; Cave illâ abutaris in ejus offensam. Quotidie renova propositum tendendi ad Sanctitatem. Petit etiam ut post S. Communionem mediam horam impenderet orationi. *Ex Actis.* Tantillum obsequium placuit B. Aloysio. Quid tu ages? gratissimum ages, si data ab eo documenta observes.

21. B. Aloysius raram adeò castitatis gratiam consecutus fuit, ut ipse ejus conspectus in aliis tentationes contrarias extingueret. Hinc præcipuus castitatis Patronus, uti & deliberantium de statu vitæ, agnitus est hactenus. Talem experti sunt plurimi uti in actis Sanctorum videre est. Blandæ erant voces Patroni hujus, quibus allocutus est Wolffgangum ab Asch clamantem: O B. Aloysi! an nunc me deseres? voces inquam hæ: fili non deseram te: Neque deseruit, ipse factus spectabilis Dux in itinere dubio. *Ex Actis.* Invoca hodie beatum hunc, fiduciâ quâ par est à te coli Patronum studiosorum. Commenda ei castitatem & vocationem tuam.

22. S. Hermenegildus hanc protulit dignam immortalitate vocem: salutem meam rebus cæteris potiorem habeo, pro qua, si res feret, paratus sum sanguinem, vitamque profundere, Simile est quod B. Aloysius suis famulis valedicens dicebat: Statuo animam meam curare; Vos similiter agite. *Ex vita.* Tu similiter age, senti, loquere. Negotium hoc tuum unicum & summum est: Salus tua, salus animæ tuæ, quid spectant studia tua? quid labor? tua vitæ ratio, quam tenes, an ea est, quæ animæ curam indicet? Si animam curas, cur non emendas ea; quæ animæ nocent? an non saltem hodie emendabis?

23. A-

23. Adoleſcens Italus, nobilis in rixa grave vulnus acceperat. Plaga pecuniæ multum conſumpſit, nec tamen obducta eſt. Ergo ad Mariam confugit Adoleſcens, vovet Lauretanum iter & emendationem, ſi convaleſceret. Convaluit, ſed voti & emendationis immemor, vixit. Tacita ei vox allabitur. Lauretum vade: Votûm exſolve. Obedit ergo: Lauretum adit, offert munera, ſed confeſſionem horret, ne emendare ſe cogeretur. Ergò conſcientiâ ſtimulante nunc templum, nunc tabellas votivas contemplari; nunc Confeſſionale inſpicere, nunc templo egredi, nunc ad illud redire. Triduô totô ſic exactô, dum Miſsæ ſacrificio intereſt, vocem rurſus è cœlo percipit, cunctationem increpantis: Confeſſionem jubentis. Paruit tandem, confeſſus eſt, è luto fœdiſſimo emerſit, pœnitentiam amplexus rigidiſſimam. *Turſel.* Quàm Sancta B. Virgini obtuliſti deſideria? quàm ſancta promiſſa? ubi executio? ubi impletio? an non eadem vox tibi allabitur: Votum exſolve: Sta promiſſis: age pœnitentiam. Quouſque ergo tardabis? Cur temetipſum angis? Excute moram, ad Deum convertere.

24. In Luſitania Adoleſcens Ægidius & ſangvine & ſcelere nobilis extitit. Ut ſceleribꝰ vacaret liberiùs, artem medicam diſcere ſtatuit Hinc Pariſios abit. In via obvium habet dæ-

monem perſonatum, à quo ad antrum prope Toletum deductus, edocetur artes mamagicas, ejuratîs ante ſacrîs omnibûs. Exactô ibi Septenniô totô, Pariſios abit, de ſcelere in ſcelus ruit. Objicitur ei aliquando Eques Cataphractus, vibratâ lanceâ formidabilis (Angelus erat à B. Virgine ſubmiſſus) qui terribili eum hac voce affatur: Deſine tandem hanc vitam moreſque tuos. Redi ad mentem. Concuſſus paululum, ſed mox ad flagitia redit. Redit eques, voces repetit, & tandem emollitus, exclamat: Dedo me, faciam quidquid juſſeris. Sic Saulus alter ad meliora compulſus vitam cœpit ſanctam, utque conſtans eſſet, religionem adiit. Chartam, in qua perfidus dæmoni ſe obſtrinxit, à dæmone recepit per B. Virginem *Hort. Mar.* Deſine tandem hanc vitam moresq; tuos, ô Studioſe: Sic B. Virgo imperat: Deſine, fac quod Maria, quod conſtantia jubet.

Breve, ſed tragicum eſt, quod narro. Adoleſcens detractionibus, ſermonibus impuris, & ſimilibus lingua vitiis aſſuetus, dum ad extrema deductus eſt, & ut ſeriam ageret pœnitentiam monitus, fruſtranea iſta omnia eſſe clamabat. lingvam manu deſignans: iſta, ajebat, lingua peſſima me damnavit, quô dictô mortuus eſt impœnitens. Flor Exemp. *Iſta lingua peſſima me damnavit. Ah! Ah! ſi re-*

si reserari contingeret inferos, quot Studiosorum lamenta eadem audiremus? O lingua pessima! ô sermones impuri! quot adolescentum ruinæ extitistis? Tibi, tibi, ne ruinæ sint & exitii causa, attende. Ita rogo te per animam tuam, sciens & nimium sciens quàm communis hæc sit, quàm perniciosa labes juventutis studiosæ. Time linguam tuam: Time: sermo unus turpis damnare te potest.

25. B. Aloysius difficultatem in studiis sentiens illicò ad orationem convertitur. Concionem paraturus ad Venerabile confugit: hac ille ratione præsentem in studiis opem expertus est. *Ex vita.* Experireris & tu si eodem modo studia tua susciperes: quid prohibet, quin occurrente aliqua in studiis difficultate ad orationem, ad B. Virginem confugias, eam verbîs illîs inclames, quibus S. Ignatius solebat: Monstra te esse Matrem. Verè dixit Berchmannus: Observa tu Deum, & Deus observabit te. Invoca Deum, opem Sanctorum, & tu laborem aggredere; felix erit.

26. Anonymus Adolescens Ægyptius seriam & constantem acturus pænitentiam, tumulo vivum se incluserat. Molestissimè id tulit dæmon; ergo ad Patrias ædes revocare laborabat: fraudes varias, denique & vim, verbera, plagas, inferebat. Sed petita infracta juvenis mens, hoc unum reposuit:

Malo mori, quàm vobis obſequi. Vicit hac ratione dæmones turmatim tentantes, qui non ſine fremitu in fugam agebantur ululantes. Viciſti nos? viciſti nos. *Spec. Ex.* Solam timet conſtantiam dæmon. Bona propoſita, Confeſſiones non timet. Ad priora conſortia, loca, occaſiones conatur revocare, facilem ſibi deinde promittens victoriam. Quid tu? Imitare: Sit hæc tua ad dæmones, ad conſuetudines, ad ſocios vox: Malo mori, quàm peccatum hoc repetere, hoc violare propoſitum. Et præſtat certè conſtantiæ immori, quàm ab ea deflectendo vindicem Dei manum provocare. Statue.

27. Ioannes Baptiſta innocentiam conſervaturus, patriam deſerit, eremum petit, vinô abſtinet. *Ex vita.* Ecce remedia ſervandæ caſtitatis & innocentiæ. Imitare in hoc. Fuge ſocios ſuſpectos: abſtine deliciîs: fræna gulam: fuge vinum immodicè ſumptum: Hæc ſi agis, aderit Divina bonitas, caſtitatem proteget.

28. B. Aloyſius licet ex natura ad iram & impatientiam proniſſimus, nunquam tamen vel aſperiore verbulo allocutus eſt alterum, nunquam cum ullo notatus eſt contendere. *Ex vita.* An leve hoc tibi videtur inſitam à natura paſſionem hac ratione compeſcere? Ergo tantò facilior erit imitatio. Vide hodie, quæ in te dominetur paſſio? quæ inclinatio?

natio?& in ejus extirpationem totus incum-be. Una passio indomita cœlum tibi occlu-dere potest.

29. Wolffgangus ab Asch speciali devotio-ne B. Aloysium prosecutus plurima & raris-sima ab eo accepit beneficia. Iter faciens à latronibus sex invaditur; invocat B. Aloysi-um verbîs supra relatîs, & audit: Fili non deseram te Apparet Aloysius, defendit contra latrones, & paucîs verbîs: an noverint Chri-stianos se esse; in fugam agit. Vitam totam cum Wolffgango peragit, instruit, oculorum sanitatem, memoriæ firmitatem mirabilem eidem elargitus est. Quod & aliis ferè in-numeris fecit. Uni pravum socium sequen-ti ait: Cave ab homine isto, qui te ad interi-tum ducit, me venerare. *Ex vita.* Omnia eò finè adduxi, Studiose mi, ut speciali affectu Sanctum hunc sequaris: præcipuè pete ab eo quod P. Corbinellus: Beate Aloysi ora pro me, ut bene moriar. Latrones te morien-tem circumdabunt: Viam ignotam ingredi cogeris: roga B. Aloysium, ut tibi adsit, te defendat.

30. Bisuntinus sodalis quidam ad extre-ma deductus, multîs, gravibûsque à dæmo-ne tentationibûs agitatus, suum non peccan-di propositum identidem renovabat; inqui-ens: Non te offendam Domine: non te of-fendam Domina. Dein ad B. Virginem con-

 versus,

versus. Opitulare, ait, Domina; opitulare! & opitulata est sanè B. Virgo, tentationes discussit, eum consolata suavissimè; adeò ut paulò post felix exclamaret: Victoria! Victoria! hanc scilicet de styge retulit invictus pugil ope Virginis. *Man. Sod.* Optas & tu similem moriens referre? ad B. Virginem convertere; hujus opem inclama. Ut autem securè inclames, sit illud jam tuum propositum: Non te offendam Domina; non offendam: Statue non offendere magnam hanc Dominam per peccata tua; & opere ipso exequere: Domina clementissima non deerit.

Terribilem peccati unius malitiam propono & tremendam consuetudinis pravæ vim: Adolescens Romæ turpi assuetus flagitio vixit, quod à sociorum uno didicerat. Sæpè confessus, sæpè relapsus. Vim sibi ad extirpandam consuetudinem inferre noluit. Adest vindex Deus gravem corporis morbum immittit Juveni. Et profuit sanè: nam juvenis seriò jam detestari vitam præteritam cœpit, sancta omnia proponere, confiteri dolore contrito peccata omnia. Munitus Sacramentis omnibus circa Vesperum, moritur de nocte. Confessarius die altero Sacrum lecturus pro eo, vi occultâ prohibetur, & tandem ab infelici adolescentis animâ monetur; cessaret orare, actum de se æternum. Causa hæc erat: Expiatâ bene conscientiâ, occurrebat

rebat ei recordatio peccati à se toties admissi; & qua nescio voluptate ductus id denuo secum ipso perpetrat, perpetrans justô Dei judiciô moritur, damnatur. Pexent. Terribilis in judicio Deus! ob peccatum unum hoc (cætera enim remissa erant) æternùm pati inter inferos! Ah Studiose expergiscere, & statue nihil leve esse peccatum mortale, præcipuè contra Castitatem; utinam, utinam non familiare pluribus! Time etiam consuetudinem, si eam non evellis maturè: poterit hæc te etiam post Sacramenta omnia ritè suscepta deturbare ad Tartara.

Anni Sancti Mensis Septimus Iulius.

I. S. Edmundus singulari in B. Virginem amore enituit: hujus honori indies Rosarium & Officium persolvit: Vesperi ante effigiem ejus prostratus orat diutiùs: Novennis vovet castitatem, & annulô se despondet B. Virgini. *Ex vita.* Festum B. Virginis cras celebratur; vide quâ illud devotione agere velis. Renovabis certè propositum indies recitandi Rosarium, vesperi

ante ejus effigiem orandi, castitatem solicitè custodiendi.

2. Berchmannus. hîs verbîs, quô esset in Mariam animô, testatus est: Mille corda si haberem, millenîs B. Virginem amarem. Item: non sum securus, nisi verum & filialem erga Beatam Virginem habeam amorem. *Ex vita.* Idem dic & senti. Securus non es, nisi Mariam verè & filialiter diligas. Sed quid hoc est? filius Matrem diligens cavet ab omni, quod matri displicet. Cave & tu ab eo, quod Mariæ displicet. An verò displicere ei non credis otium tuum, tepiditatem in oratione, Confessione, &c. Consuetudinem illam pravam &c. hæc amove, & Mariam filialiter diligis. Mille vitas & corda ei debes; unum cor, vitam unam ei impende, Statue hodie, id facere deinceps.

3. B. Aloysius ad verbum turpe ab aliis prolatum mox rubore perfunditur, demittit oculos, aut tacens dum monere non audet; aut carpens liberè; uti senem septuagenarium acerrimè propterea insectatus est. *Ex vita.* Imitare: Castitatem amantibus singulis res hæc cordi esse debet. Parum abest ab opere, qui linguæ suæ & auribus omnia permittit. Et utinam non post multos etiam annos verbum turpe, diu antè casu auditum, effectum habuisset longè fœdissimum, habuit certè sæpe, & eò induxit

adoles;

adolescentes, cæteroquin piissimos, quò nullus dæmon inducere poterat. Fuge tu, potissimum, qui toties dicis, nihil te dicturum esse contra honorem Virginis. Fuge sermones tales.

4. S. Alexius primâ nuptiarum nocte sponsam deserit amore castitatis: per septemdecim annos constans est in perferendis convitiis & injuriis plurimis in ipsa adeò domo paterna, quam ignotus incoluit. *Ex vita.* Sanctè incipere parum est; perseverare & quidem per tot annos hoc enim verò cœlo dignum est. In hoc imitare S. Alexium, constanter observando proposita facta; quod ut fiat, pete hodie à Sancto Alexio gratiam.

2. Viennæ in Gallia Sodalis innocentissimus ab impio seducitur ad scelera maximè horrenda, ipsam adeò Magiam. Duobus in vita tali exactîs annîs petitur à dæmone abjuratio Dei per adolescentem facienda. Hic diem deliberationi impetrat. Die illo territus Lugdunum abit ad Magistrum quondam suum, In via variè à dæmone tentatur, ne pergeret, mors etiam intentatur. Iuvenis invocata Beatâ Virgine pergit; quærens ex dæmone, cur ergo tam diu mortem mihi non intulisti? hoc accepit ab eo responsum: Nec voluntas mihi defuit, nec conatus: prohibuit Domina tua, cujus te clientelæ commiseras, Stupet juvenis amorem B. Virginis,

ginis, abit Lugdunum, confitetur, emendatur. *Ann. S. J.* O Studiose, ubi esset anima tua, nisi B. Virgo obstitisset? animet te hoc, ut incipias esse alius, & devotiùs famuleris magnæ Matri. Disce etiam, quò detestandum consortium deducat.

6. Adolescens nobilis Romæ concioni interfuit: dixerat Concionator noster, remedium contra peccata omnia, præcipuè lasciviæ, optimum hoc esse: indies semel Salutationem Angelicam recitare cum hac oratione: O Sancta Virgo, dono tibi oculos meos, aures, os, manus & cor meum: juva me, ne unquam offendam Deum ac te: cum fuero tentatus, statuo dicere: Sanctissima Virgo sum tentatus, succurre Domina: ego sum Iesu & Mariæ, quibus me donavi. Audiit hoc adolescens, & quia turpissimam in lasciviis consuetudinem contraxerat, remedium hoc amplexus est. Emendatio secuta est mirabilis & constans; adeò ut in tentatione fateretur, ne posse se quidem peccare, post preces tales; adeò manifestum B. Virginis, auxilium se sentire. *Segneri.* Facile, efficax remedium: Obtulisti te Deo & B. Virgini; offer te eidem indies; offer linguam, oculos, manus tuas: invoca in tentatione Dominam tuam: opem senties.

Antonius quidam in Italia mimum per annos aliquot egerat, successu si corpus spectes

(ipso

(ipso saltem Judice) felici; si animam infelici. Jocis enim etiam turpibûs, vitæ liberæ assuetus, de pietate prima parum retinuit. Vixerat jam annîs aliquot vitam hanc; Cum die quodam in Theatro cæcum agit non sine intuentium plausu, cæcitate à Deo Iudice punitur. Abductus à Theatro sortem suam infelicem considerat. Et ecce adest Matrona quædam (talem enim vox manifestaverat) quæ hîs eum verbîs alloquitur: Satis datum est nugis. Satis servitum oculis profanis; nunc ut te inspiceres, oculîs te Deus orbavit. Agnosce Dei judicia; relictis ludicris saluti consule. In patriam & ad Deum reverti vis? veni, dux ero. Dixit, & ad Lauretanam domum, ubi confiteretur, deinde in patriam reduxit, saluberrimîs monitîs instruxit, quæ & ipse ad mortem usque constans implevit. Pexenf. *O quoties Ducem vitæ novæ se tibi obtulit eadem Virgo! quoties tibi inclamavit: Satis datum est nugis: saluti tuæ consule. Tu quid egisti? despexisti Ducem hanc. Antonius ille si despexisset, an non actum de salute eius fuisset? fuisset certè. Time ergo & saluti tuæ, nisi obsequaris. Inclamat denuo: Satis datum est nugis: satis otio:, satis consuetudini illi: consule saluti tuæ. Tu obsequere.*

7. B. Aloysius Patri à vocatione implenda absterrere volenti dixit: Etiamsi mundum totum promitteres, non id impetrabis, ut Dei

ut Dei voluntatem non ſequar. Ad objectas verò difficultates repoſuit: Si in Religione ſervire tantum gulæ vellem & otiari, cœlum non ſperarem. *Ex vita.* Conſtans eſto in vocatione ea, quam vides amplectendam. Nulla te res abſterreat. Sed & in rebus aliis nullo promiſſo ab implenda Dei voluntate arceri te permittas. Quantillum verò eſt, quô ſubinde arceris. Paululum quietis in otio eſt: paululum voluptatis in conſortio, in cauponis, in luſu: & Deum deſeris: Deum offendis? Aliud ſtatue.

8. Friburgi erat, qui omnium monita protervè reſpuebat, corporis cultum formamque ſolicitè nimis quærebat, de anima nihil ſolicitus. Sacellum Beatæ Virginis vice quadam ingreſſus, poſt preces pauculas ad B. Virginem fuſas totus in alium fuit mutatus. *Ann. S. J.* Mutareris fortaſſis & tu, ſi ferventiores ad B. Virginē preces funderes pro emendatione tua. Roga B. V. enixè, impetrabit tibi à Deo gratiā.

9. S. Vincentius Ferrerius refert fuiſſe juvenem, qui eò uſque in ſceleribus devenerat, ut gloriæ ſibi duceret eſſe impium. Irritæ aliorum monitiones & minæ erant. Cæleſti opus fuit remedio. Nocte dormienti, Chriſtus apparet ſtipatus Angelîs, & vultu ad Angelos converſo ait: Et quid facit hic audax & facinoroſus? tanto tempore meâ abutens patientiâ in peccato vivit obſtinatus:

ſtinatus: aut vitam mutet, aut quamprimùm ad meum hoc tribunal evocetur, ut debitas ſcelerum ſuorum pœnas luat: Hîs dictîs ſomnium evanuit: Evigilavit juvenis, adeò territus, ut præ horrore incanuerit. Sed non capillos ſolùm, verum & vitia mutavit: Confeſſionem ſeriam peregit: vitam emendavit. *Segneri.* Utinam hunc ipſum effectum in te haberent tot Concionatorum, Confeſſariorum monita, tot inſpirationes internæ, quibûs ad vitam meliorem impelli te ſentis! Recordare verborum illorum: Aut mutet vitam, aut ad tribunal evocetur. Memoria judicii extremi te à peccato abſterreat; ad bonum impellat. Time offendere Iudicem tuum.

10. S. Udalricus adhuc puer mirè delectatur lectione vitarum Sanctorum, & ſtudet ea, quæ per ætatem poterat imitari. *Ex vita.* Cultus Sanctorum optimus eſt, eos imitari. Si ad manum non ſunt vitæ Sanctorũ, ſaltem quotidiana hæc exempla imitare conſtanter. Tot tibi in cœlo Patronos concilias, quot virtutum exempla imitaris.

11. Taurini Sodalis ab equo calce petitus grave vulnus accepit. Pudor & verecundia, quòd nollet permittere partes læſas à chirurgo tangi, rem celaverunt. Inde terribiles exorti dolores, quibûs coactus, rem Confeſſario aperit. Iubet is confeſtim aperiri Medico;

dico; sed eò jam deducta res erat, ut remedio locus non esset. *Ann. S. J.* Admirare pudoris tenacissimum adolescentem: in eo etiam imitare; In verbis & operibus verecundiam fac semper præseteras singularem: Hæc enim Castitatis comes & custos est.

12. In Austria Infimista quidam Officium B. Virginis etiam æger ex libello recitare non omisit: recitans illud obiit, pertinaciter adeò hærente intra digitos libello, ut vi nulla avelli posset; hinc cum eo ceu sui in Mariam amoris Tesserâ sepultus est *Lechn.* Studiose, an non malles cum hoc apparere coram tribunali Iudicis, quàm cum illis, qui tenentes manu folia picta oppressi à domo corruente, ad æternitatem abrepti sunt, suæ in regulas inobedientiæ signum secum deferentes? Vivens ergo imitare Sodalem illum; constanter Virginem piissimam venerare.

Adolescens in Gallia lusu & potationibus tempus omne transigere solitus, dum vice quâdam de more in caupona versatur, sermone de animarum immortalitate exorto, sic impiissimus auditus est garrire: Me quod attinet si quis animam meam emere vellet, facilè de pretio cum ipso convenirem; pretium omne pro potu exponerem & communi lætitiâ. Ingressus paulò post dæmon mercatorem mentitus, pretium petitum solvit impio. Estur interea, potatur, luditur; Vespere facto dæmon impium illum

lum cum corpore & anima (frænum veluti cum equo, uti in similitudine proposuerat) stupentibus omnibus rapit ad Tartara. Spec. Ex. *O iniquum animæ æstimatorem! Animam Christus tanti fecerat, ut ineffabiles pro ea dolores sufferre non horruerit; & impius uno alterove floreno vendit! Dignum Styge flagitium. Studiose, an tu simile non perpetrasti! Augustinus dicit: Peccator animam suam vendit diabolo, accepta tanquam pretio, dulcedine temporalis voluptatis. Quoties peccasti graviter, toties animam vendidisti: pretium erat voluptas fœda & brevis. O turpe facinus! an repetes posthac? Adverte etiam, quò deducat inconsulta illa ludendi potandique consuetudo. A cauponarum visitatione & potu, ad quales eheu sermones, ad quas blasphemias quales lusus, quas furias, quas lascivias, ad quæ Tartara ruunt præcipites Iuvenes cœci? Ne patiaris te seduci ad cauponas &c. actum est de innocentia, de castitate, de beatitudine tua.*

13. Neapolitanus Sodalis, in via sceleratum aliquem offendit, blandè eum alloquitur, ad templum deducit, habere se inquiens quod loquatur; rogat emendationem. Sceleratus facilem se ostendit fore, modò lucrum ex peccato habitum compensaretur. Tum Sodalis: Pone metum, ait; quinque denarios meo labore indies parare possum; tu duos accipe. Movetur alter charitate hac, & emen-

& emendat se. Duacensis erat, qui omne tempus à studiis reliquum, dabat erudiendis parvulis. *Ann. S. J.* Quid tu pro salute animarum aliarum? quid ad impedienda peccata hodie ages? an non datur occasio peccatum aliquod impediendi? vel alterum ad opus aliquod bonum excitandi?

14. S. Laurentius Iustinianus tempore calidissimo ad levandam sitim incitatus, ait: Quomodo feremus purgatorii calores, si parvam sitim ferre non possumus? Hinc aquâ abstinuit, sitim toleravit, ut calores æternos evaderet. *Ex vita.* Frequens fortè occasio est imitationis hujus: Dum siti premeris, cogita, quæ illa damnatorum futura sit sitis. Et hanc ne pati cogaris, elige mortificare gulam tuam; non tantùm superfluas potationes in cauponis &c. sed etiam subinde necessarias subtrahendo, aut differendo.

15. S. Hermannus Ioseph tristabatur aliquando; quòd ob labores plures orationi vacare diutiùs non posset: sed erigebatur à B. Virgine, jubente, ut labores generosè peragat, hos enim, ajebat, sibi gratiores fore. *Ex vita.* Studia tua si intentione debitâ suscipiantur à te, res Deo & B. Virgini gratissima sunt. Hæc, si negligantur, ne ipsæ quidem preces Deo placere possunt.

16. Anonymus Sodalis B. Virginis effigiem præteriens eam semper colere solitus fuerat;

fuerat; hoc dum die quodam ex more agit, audit vocem: Confitere. Eandem die sequenti repeti advertit. Ergo integram de tota vita confessionem paravit. Vix peracta erat, & in platea obambulans globô trajicitur, moriturus morte improvisâ, nisi hac ratione B. Virginem colendo, speciale hoc beneficium obtinuisset. *Ann. S. J.* Imitare; transiens B. Virginis effigiem cole eam verbîs paucu'îs: Ave Maria. Placet hoc B. Virgini; hinc S. Bernardum id agentem resalutare dignata est Virgo inquiens. Salve Bernarde.

17. Oeniponti Sodalis incredibili cerasorum recentium desideriô tenebatur: jam hortum petierat, ad arborem cerasîs onustam accesserat, satisfacturus libidini intemperanti. Adest cogitatio de victoria sui, etiam in rebus minimis Deo grata. Ergo ut tantò major illa esset, in arborem enititur, per horas duas ibidem versatus preces B. Virginis honori persolvit. Considerationе cerasorum & ocasione hîs fruendi, irritata summopere fuit orexis, & libido intemperantior; sed altiore vincendi sui studiô accensus adolescens, oculis omnia, gulæ nihil concessit; ex arbore velut trophæo sui erga Deum & B. Virginem amoris invicti descendens, domum lætior rediit, ac si animum explevisset, cibô desideratô fruens: Rarissi-

mos

mos cœli favores hæc ei victoria attulit. *Sod. Parth.* Leve hoc tibi videtur? ergo faciliùs imitari poteris. O si scires, quantô Deus præmiô rem hanc judiciô tuô levem remuneretur in cœlis! Vince te! vince in occasionibus similibus plurimis, quæ tibi in dies occurrunt. Tot tibi coronas nectis in cœlo, quot refers de te haciatione victorias.

18. B. Stanislaus intimè rerum humanarum naturam penetrans ajebat. Nihil in mundo amore nostro usque adeò dignum est. Ipse totum se ad amandum Deum convertit fervore tanto, ut sæpe frigidâ exterius levari debuerit calor internus. *Ex vita* O quàm tepet tuus in Deum amor! quod signum amoris divini in te? Creaturam illam, voluptatem illam in otio, lusu, &c. tantopere amas: Deum tuum quando amabis? elice hodie ferventes aliquot actus amoris.

In Belgio quidam è Patribus nostris ad carcerem evocatus, ut adolescenti necdum vigesimum primum ætatis annum egresso, ad mortem condemnato adesset; ubi carcerem intrat; vehementer commoveri reus, hærere, gemere, ejulare, demum in Patre hoc Magistrum quondam suum fateri. Stupuit Pater mutationem mirabilem; sciverat enim eum piissimæ vitæ exemplar totô quinquenniô extitisse. Sed adolescens vitam omnem referens, totam perditionis

onis causam pravorum consortio adscripsit? Conscientiâ ritè expiatâ, dum carnifex carcerem subit reum educturus; novo adolescens horrore concuti, altùm inclamare in carnifice suum quondam condiscipulum, & illum Magistro gratum, agnoscere. Quo omnium stupore quis dicat? Finiit vitam mortalem adolescens manu carnificis condiscipuli, assistente suo olim & carnificis Magistro. Pexenf. *Spectaculum verè lugubre. Et quò non deducit societas prava? O quàm chari suo Magistro discipuli paulò post in profligatissimæ vitæ mores ruunt hodiedum, utinam non ex his ad tartara. Obstrue fontem: Time societatem omnem suspectã.*

19. Saffaritanus Sodalis provocatus ad duellum excusabat se dicens, gladium suum esse obtusum. Stringe, ajebat alter, quid enim gestas? ego, reponit iste, ego ut stringã nequeo; nã sodalitii Præses jam diu gladium meum vaginæ affixit, ut convellere non possim. Egerat Præses de materia hac in concione quadam; hinc ille utilitatem hauserat *Lechn.* Quam tu è tot concionibus utilitatem hauris? an opere ipso implere laboras, quod in eis inculcatur? Recordare divini oraculi: Scienti, & non facienti, peccatum est. Satage hac septimana implere, quod in exhortatione postrema propositum est.

20. S. Procopius eodem prorsus modo, quô olim S. Paulus, conversus, totum se

Christo, & ejus obsequiis immolabat, miram inter horrendos cruciatus fortitudinem præseferens ajebat; Quid jucundiùs quàm pro Christi nomine pati? *Pexenf.* Qundo tu tandem converteris? quando te totum Deo immolabis? quando inter tentationes fortitudinem Christianam exhibebis? si pati pro Christo jucundum est, an non & vivere? Christo vive; hoc est, ex ejus nutu, voluntate & imperio vive: Sathanam desere; ejus tentationes vince; præcipuè in re hac..,,

21. Iuvenis erat sub instructione Hugonis Abbatis Bonæ Vallis, qui à primo fervore multum remittens vitam impiam repetere cogitabat. Hugo hîs eum verbîs allocutus est: Fili mi miserere animæ tuæ. Si hic manseris, promitto futurum, ut societatem in cœlo cum Sanctis omnibus habeas. Paucu-lîs dictîs animatus juvenis constans in pietate perrexit, à Sanctis ipsis ante obitum visitari meritus. Paulò ante mortem gratias egit Hugoni pro consilio & monitis, periturum se aliàs in inconstantia sua affirmans. *Spec. Exempl.* Imitare iisdem verbis, temetipsum ad perseverantiam hortare. Erit, cum agnosces & gratias ages iis, qui jam non sine tua molestia, te monent. Hodie spe mercedis æternæ non repete peccatum hoc.....

22. Sodalis die aliquo summo mane ad Collegium Germanicum Romæ accurrit seque

ſeque ad conſcientiam expiandam Dei Matris & S. Ioſephi ope tandem eſſe permotum affirmabat, addens: Nocte illâ oblatum ſibi ſive ſomnium eſſe ſive viſionem; in qua à ſtygiis ſpiritibus ſibi videbatur detrudendus ad orcum, eò quod à confeſſione jam diu abſtinuiſſet; ne tamen eò detruderetur, opem à B. Virgine & S. Ioſepho allatam eſſe: certũ ſibi jam eſſe edixit, vitam eam agere, quæ tali periculo deinceps liberetur, & conſtantes Liberatrici Virgini & S. Ioſepho gratias perſolvere. *Nadaſi* Habes & tu Studioſe, cur eaſdem perſolvas gratias. Hæreres, ne dubita, jam inter inferos, niſi Virginis clementia te ſervâſſet. Poſthac vitam age aliam: Cave, Myſteria ſacra diu negligas: negligendo enim hæc, innumera ſalutis media tibi ſubtrahis. Sed quâ ratione tantum beneficium obtinuit Sodalis ille? id quidem hiſtoria non refert, refert de viro per ſex annos ſacrilegè confeſſo, dein decem annîs continuîs Sacra omnia refugiente, qui unâ concione ad vitam ſuam miſeram deſerendam motus, gratiam ſervatæ hactenus ſalutis adſcripſit jejunio ſabbathino, quod in B. Virginis honorem obſervaverat. Scilicet minima etiam remuneratur Virgo clemens. Noli in hujus cultu tepeſcere: Iejunium ſabbathinum, preces quotidianæ, & ſimilia ſigna ſunt alicujus ſaltem erga Virginem tantam affectûs.

23. Adolescens quidam Religionem deserere cogitabat, ut matri succurreret: jamjam abiens Christo Crucifixo valedicit, & audit voces has: Magis te alui ac mater tua, ne me ejus causa deseras. Hîs commotus mansit constans. *Spec. Ex.* Idem tibi dici cogita, dum à socio aut dæmone ad scelus aliquod, hoc est ad deserendum Deum invitaris: Magis te alui, majorem tibi charitatem exhibui, ac socius ille, ac dæmon: Noli ergo me offendere, me deserere, noli hoc peccatum facere, ut illi obsequaris, ut illius amorem conserves. Statue hodie fortiter rejicere petitiones aliorum iniquas; non deserere Deum ob gratiam hominis.

24. Adolescens à prima ætate tenerrimè B. Virginem colere solitus, quotidie devotionem suam formulæ repetitione instaurabat. A condiscipulo amicitiæ specie invitatus, primò tantùm ad colloquia, dein ad ambulatiunculas, ad lusus, demum ad magica in sylvis spectacula: Obsecutus est cæcus; nomen etiam suum dæmoni tradit, variîs à dæmone spectaculîs recreatus: domum redux scelus agnovit, Religionem petit. Socii irati dæmonem in eum immittunt, à quo per dies quatuor obsessus est Iuvenis. Spem unam in B. Virgine posuit: formulam sodalitatis in charta exarat ringente dæmone: & dum scribit: Suscipe me &c. Adest Virgo

respondet

respondet: Fiet: Liberatur deinde dæmone, recipit schedam dæmoni datam; B. Virgini vivit noviter obstrictus. *Pexens.* O consortia quò deducitis! formulam Sodalitatis sæpè renova.

Posonii Sodalis Sanctissima Sacramenta tantùm obiter frequentare, nihil à consuetudine, in qua vivebat pessima, remittere solitus, insomnem aliquando noctem cogebatur exigere; post conscientiæ querelas & morsus ante Dei tribunal sibi stare visus est, & coram tormenta inferni intueri. Rationem reddere jussus de tepiditate sua, cum non haberet, quod responderet, obmutuit. Denique ad B. Virginem & Sanctos, quos videre sibi videbatur, conversus, eorum intercessionem flagitat, emendationem spondet; dilationem sententiæ à Christo Judice aliàs pro tota æternitate ferendæ impetrat, noctu adhuc ad nostros veniens animam expiavit. Nadasi. *Sodalis si tuis in auribus resonaret hodie vox illa: Redde rationem de vita tua, & præcipuè de sanctissimis Misteriis tanto tepore susceptis, quis tibi animus esset? quid proferre posses, quô damnationem averteres? Nota, quod dixi: Adolescenti illi imminebat damnatio, eò quod sæpè quidem Sacramenta suscipiens, nihil tamen de consuetudine pristina remiserit. An non & idem in te reperies? quæ emendatio tua post tot confessiones? quàm timendum hoc, ne confessiones plures, verô destitutæ*

 sint

ſint propoſitô, adeoque ſacrilegæ, damnationem tibi, non ſalutem allaturæ. Terribile eſt, quod legitur de Patre, qui 30. poſt obitum ſuum annis apparens filio ſuo, preces ab eo poſtulans, ei indicabat, confeſſiones omnes hoc tanto tempore ab ipſo factas ſacrilegas fuiſſe; eò quod non ex animo ſerio, ſed tepiditate ſuſceptæ, propoſitô firmô conſuetudinem malam eradicandi fuerint deſtitutæ. Timeo, timeo ne plurium Studioſorum confeſſiones ſint ſimiles, eorum ſcilicet; qui tantùm pœnæ metu, tantùm ex conſuetudine, obiter, negligenter, eas peragunt; parum de emendatione ſolliciti Tu curam impende ſummam negotio huic, de propoſito & emendatione eſto ſollicitus.

25. Panormi Sodalis per ſpeciem colloquii evocatus à fœmina, non obſcurè poſitas Caſtitati inſidias advertit. Licet ergò negotia urgerent, nunquam tamen vel tranſire per plateam illam voluit. *Lechn.* Imitare: Occaſionem peccati fuge fuge cauponas, domos ſuſpectas, conſortia illicita, in quibus non ſemel tantum offenſam à te Dei majeſtatem nôſti. Ipſa occaſionum repetitio diſplicet Deo: hinc P. Segneri refert de viro, qui acceſſerat domum antea ſceleris adjutricem, factô quidem firmô propoſitô peccati non admittendi; vi tamen quadam occultâ abreptum ſe inde advertit.

26. In Aragonia juvenis vitæ liberæ amans

mans, Concionem aliquam intraverat: audit has inter alias Concionatoris voces: Triennium jam est, quô Divina bonitas passa est moras tuas; Cave ne sine mora, illius iram experiaris. In se hæc divinitus dicta credit; nam tanto tempore vitam impiam egerat: igitur pœnitentiam incepit, ad vitæ finem continuavit. *Lechn.* Incipe tandem & tu. Iam diu te tolerat Divina bonitas. Time, ne in furore justo te perdat. Incipe hodie ejurare vitam præteritam: hodie esto alius.

27 Adolescens fuit, qui cum per Matrem à Religione adeunda avocaretur, ad objectiones omnes, unum hoc reposuit: Volo salvare animam meam. Ingressus religionem vixit in ea tepidè. Videre sibi nocte quadã visus est Matrem coram Tribunali Divino, se verò inter damnandos audiit has à Matre voces: Fili, ubi sunt voces illæ: volo salvare animam? quomodo eò infelicitatis delapsus es? Experrectus, totus à se mutatꝰ est: causam interrogatus, ajebat: Si vultum Matris increpantis ferre non potui, quomodo vultum justi Iudicis feram? *Specul.* Ecce timor Iudicis à peccato cohibet. Memor esto & tu Iudicis illius; & time eum offendere: hoc.... peccato.

18. Fulco adolescens vanitati addictissimꝰ nocte quadam jacebat insomnis: diem optabat, ut vanitati vacare posset. Sed orta

in animo cogitatio hæc est: quid si bienniô integrô inter tenebras jacere, in lecto hoc licet suavi cogereris, quô aurô non redimeres supplicium hoc? & quomodo agetur inter inferos cum damnato? Commotus hac cogitatione ordinem religiosum ingressus est, vitam vivens sanctissimam. *Drex.* Commovereris & tu, studiose mi, si vel semel seriò hoc cogitares, quid sit, æternum jacere inter inferos! cœlites! quàm terribilis, quàm potens est æternitatis memoria! poterisne tu æternùm in incendio illo terribili perseverare? poterisne? ecce lecto molli ne vel unâ nocte quietus, potes incumbere, & rogo gehennali possis! O studiose, studiose! memento veritatis terribilis: æterna sunt inferorum supplicia. Fuge fuge, quidquid eò te potest dejicere.

29 B. Aloysius die S. Communionis, quā angelicâ prorsꝰ modestiâ suscepit, die inquā toto omne hominū consortiū vitat; nonnisi orationi vacans, & Lectioni sacræ. *Ex Vita.* Imitare: disce tempus adeo sanctum benè impendere. Inexcusabilis est malitia tua, si eodem die peccata tua repetas, linguam Christi cruore purpuratā contamines, quibûs nescio loquelîs & narrationibûs; si pedes manè Christo inflexos, quò nescio dirigas. Stude hac in re B. Aloysium imitari: lege librum spiritualem, plus temporis orationi consecra. Ostende id

die

die proximo, quô finè dubio in Magni S. I-
gnatii honorem, devotionem tuam perages.

30. Adolescens Anonymus tentatus à muliere, renuit obsecundare primùm: dicente verò muliere: Sacerdos te statim absolvet; inquiebat: solvi quidem à Sacerdote possum, sed ego me scelere obstringere non possum, nec debeo. *Ann. S. J.* Cave unquam pecces ideo, quia facilis est remissio; facilis confessio. Peccatum terribile est: præsumptio de misericordia Dei. Horres ad rem hanc? ah utinam rara adeò inter studiosos esset, quàm terribilis est!

31. Coloniensis quidam B. Virgini à puero devotus, ejus imagini advolvi indies consueverat, & preces pro felici morte persolvere. Morbô gravî prostratus totus ad B. Virginem confugit, hanc unam in corde, hanc in ore habebat assiduè, pridiè mortis matri affirmat, visam à se esse Deiparam, à qua ad cœlum invitaretur: ergo expiatâ rursus conscientiâ, in amplexu B. V. exspirat pacatissimè. *Ann. S. J.* Non est auditum quenquam à Maria derelictum, qui eam constanter & seriò invocaverit. Tum maximè adest, quando omne humanum deest auxilium. Vis ut adsit tibi in morte, cole eam in vita. Infelicem crede diem illum, quô eam non honoraveris per preces consuetas,

Adolescens lascivus Lusitanus, puellam castissimam ad scelus immane solicitare ausus est: vi armatâ irrumpens in cubiculum ejus; cum nihil precibûs, & donîs profecisset, gladium stringit, aut consensum, aut vitam extorturus. Non cessit virgo, paratam se mori potiùs quàm Deum offendere ingeminabat; opem fixîs in cœlum oculîs à Virgine Virginum flagitabat: Masculos repente spiritus concepit, collectîsque viribûs aggressorem invadit, domô protrudit. Letalem plagam, suomet divinitus ferrô inflictam, sensit impius; pudore & dolore plenus domum revertitur. Sanato utcunque vulnere (ô insaniam! ô impudentiam!) ad Virginem revertitur, repetit preces & minas: Virgo opem Mariæ denuo invocat: & ecce prodigiosum supplicium! juvenis manu invisibili feriente gravissimè vulneratus oculîs caligine pressîs, cubiculo pedem effert, moxque necessariîs Sacramentorum subsidiîs destitutus repentinâ morte temeritatem luit. Nadasi. *Mors infelix, Stipendium peccati! Resipiscere debuerat impius pœnâ primùm inflictâ; sed quò non rapit passio excæcata? studiose, ne dixeris peccavi, & quid accidit mihi triste? Altissimus enim est patiens redditor. Nondum punitus es majorum forte scelerum reus? agnosce & lauda Dei clementiam. Peccare etiamnum vis? exhorresce justitiam. Eô te momentô mors potest obruere, quô peccatum audes perpetrare.*

Anni

Anni Sancti Mensis Octavus Augustus.

1. S. Ludovicus, postea Galliæ Rex, mirificè studebat puritati conscientiæ; adeò ut nullâ graviore noxâ eam unquam inquinaverit. Hunc fervorem in eo excitaverat pia Mater Blanca, quæ sæpe hîs eum verbîs affata fuit: Mallem te mortuum videre fili mi, quàm peccantem. *Spec. Juv.* Imitare: Quasi a facie colubri fuge peccatum: puritatem conscientiæ quære, & conservare labora: nihil in ea maculæ, nihil labis adhæreat.

2. Berchmannus liberiores quosvis sermones adeò fuit exosus, ut non modo tales proferret nunquam, sed & eo veniente abrumperentur ab aliis; velut ad novi Bernardini conspectum erubescerent. *Ex vita* Imitare: à spurcitiis talibus non solùm ipse abhorreas, verùm & te præsente nemo eas proferre audeat. Palam te, hostem suum sciant, qui impia effutire non verentur. Cur risus eorum times?

3. Udo Adolescens pissimus, postea Ar-

chiepiſcopus Magdeburgenſis ſceleſtiſſimus, hebeti & obtuſô erat ingeniô. Erubuit ad continuas aliorum irriſiones. Ergo vice quadam templum S. Mauritii ingreditur, intenſiſſimòque affectu feliciorem in ſtudiis ſucceſſum à B. Virgine flagitat. Apparet hæc ei, blandè conſolatur, ſpondet & profectum felicem, & Epiſcopalem dein Infulam: hoc tamen monitum addit: Vide ut bene utaris ſcientiâ tuâ; aliàs graviſſima tibi pœna imminet. Eventus reſpondit promiſſioni: Mox enim eminere in ſchola Udo, cæteris omnibus præcellere, omnibus eſſe in honore cœpit: poſt aliquot annos in Epiſcopum electus. *Barzias.* Uſque huc tutò imitare: ad B. Virginem confuge in ſtudiis tuis: bene utere talentîs & ſcientiâ tuâ; aliàs pœna gravis imminet, ſicut Udoni. Hic enim factus Epiſcopus vitiis ſe dedit: monitus de nocte hîs verbîs: Udo ſatis luſiſti: ceſſa à ludo! non ceſſavit: hinc terribilî ſuppliciô de nocte è ſcelere dicam? an lecto abſtractus, miſerè periit. Time exitum ſimilem. Sed & has voces altùm animo imprime: ſatis luſiſti: ceſſa à ludo.

4. Berchmannus videns canem aliquem jubente Domino in aquas licet profundiſſimas ſalientem, & pro panis fruſto mirè ſe fatigantem, ait; An Domino Deo obedire par non ſit pro tanto præmio, quantum cœ-

lum

lum eſt! *Ex vita.* Sic eſt: Res quæ ruborem incutiat: bellua pro fruſtulo panis nihil non agit; nulli non periculo ſe committit: ſpondet Deus cœlum, & laborare renuis? ſtatue ſpe tanti præmii nullum laborem refugere. Spes eadem conſoletur moleſtias in ſtudiis occurrentes.

5. Franciſcus Maſtrillus poſtea in Iaponia Martyr, tempore incommodo à ſene & moroſo aliquo ſacerdote rogatus, ut ad aram facienti aſſiſteret; vehementem in animo reluctantiam expertus eſt; tandem eam Dei amore vincens abit, miniſtrat: & ex eo tempore mirificîs à Deo gratiîs ſe locupletari advertit, quas glorioſa demum mors pro fide obita, coronavit. *Ex vita.* Quantillum eſt, ex quo ingens Dei in nos favor, imò ſalus noſtra pendet! una ſæpe victoria eſt in re levi v. g. in ſurgendo in ſuperando, reſpectu vano, in adeundo templo, &c. Huic ergò victoriarum generi frequenter ſtude. Forte è tali ſalutem tuam dependere voluit Deus. Imprime tibi duo illa axiomata P. Lancicii S I. Nihil leve, quod ſumma æſtimat Majeſtas: nihil exiguum, quod ſumma reprobat ſanctitas.

6. B. Aloyſius convivio intereſſe coactus fuerat: eô ſolutô ad choreas à puella nobili invitatus. Exhorruit caſtus animus Aloyſii, & pudore ſuffuſus clam ſe fugâ proripuit,

jurejuran-

jurejurando affirmans ad talem se occasionem nunquam rediturum, *Ex vita.* Disce choreas & vanitates similes (atque utinam tantùm vanitates) horrere, velut castitati minùs amicas. Disce fugere occasiones, ubi vel à longe periculum animæ tuæ imminere advertis.

Juvenis quidam fœdissimo contra Castitatem vitio assuetus venerat ad Thomam Cantipratanum. Monuit iste, vim ut sibi inferret; peccatum adeò periculosum caveret. Rediit ille identidem eodem inquinatus scelere. Festô Paschatis iterum seriò à Thoma monetur: intentatur ira divina, quæ tandem vidicatura esset injurias adeò frequentes divinæ illatas Majestati Abit ille, sed eodem adhuc die peccatum idem infelix repetit. Adest ultor Deus, & apoplexiâ tactum ad tribunal divinum evocat. Una morietis vox erat: vindicta Dei super me! vindicta Dei super me! Th. Cantip. *Relapsum in eadem peccata gravia metue: Vindictam Dei formida, quæ frequenter in ipso peccato oppressos deturbat ad supplicia æterna. Disce in propositis constans esse, ne ultor Deus inopinantem te obruat. Vereor certe, ne si hac ratione pergas vivere, sub finem exclames lugubre illud. Vindicta Dei super me.*

7. Landishuti in Germania juvenis cum heterodoxis familiarior, hæsitare in fide cœperat. Adest ei noctu Virgo Mater duobus

stipata

ſtipata Angelîs: uterque ſtrictô gladiô interitum minitari videbatur: alter has voces addidit: Hoc ego te enſe è vita ad inferos deturbabo, ſi à fide deſciveris. Experrectus juvenis hæſitare deſiit, majore Virginem Deùmque fervore venerari incœpit. *Ann. S. J.* Maria Virgo quàm ſolicita eſt pro ſalute noſtra! terret, monet, hortatur. Mater eſt: filiorum amat animas. In Germania ad ſacerdotem ſacrilegum, Virgo Mater mulierem ſanctam ablegavit. quæ hîs eum verbîs moneret: Finem tandem libertati pone: periclitatur anima: inſtat interitus ſempiternus: damnandus jam fuiſſes, niſi dilationem ſupplicii pro aliquo adhuc tempore impetraſſem. Hæc Mariæ monitio fuit. An minùs in te benignam expertus es Mariam? An ſimiles ad cor tuum voces illa non protulit? Ubi eſſes ſi mater illa clemens non fuiſſet? ſed adverte: Impetravit ut ſupplicium differretur, non ut auferretur. Libertati finem pone: redi ad matrem: age gratias: novo nomine obſtrictam ei vitam, conſecra.

8 Fuldæ Adoleſcens nobilis cubitum jam conceſſerat, ſomnum jam auſpicatus fuerat: cum boni Angeli inſtinctu excitatus, neglecti eo die Roſarii recordatur. Vincit ſe, è ſtrato ſurgit, preces perſolvit. Interea ſuperior lecti tabula magno impetu ac pondere in lectum decidit, certô juvenem exi-

tiô oppressura, nisi pius in Mariam affectus eum lecto evocasset, & discrimini hac ratione subduxisset. *Ann.* S. J. Imitare: Constans esto in colenda Virgine. Constantiam amat & remuneratur. Non temporalem solùm, verùm etiam æternam perniciem à clientibus suis, pia mater sæpe avertit.

9. Viennæ in Austria Adolescens lautè educatus, ab ipso Præceptore edoctus est artem surripiendi parentibus pecuniam illam, quā in ganeis ac lustris prodigere posset. Hanc ille pecuniam in suburbano abscondebat; inde quantum necesse erat, vicibûs singulîs deprompsit. Accesserat aliquando locum illum, & ferme vacuum videns, de novo subsidio deliberat. Dumque huc illuc animum versat; umbram loquentem audit & videt, quæ pecuniam ex voto amplam spondebat, si juvenis se ei devoveret. Quærenti verò juveni, unde esset? reposuit; post datam priùs fidem rem à se apertum iri. Nolo hoc, subjungit juvenis; jam scire cupio, qualis aut unde sis. Hæc dicens velut œstrô infernalis genii percitus, inconditè clamare cæpit: Rapi se, auferri à dæmone, jugulari. Accurrunt vicini, domum referunt, vinculis alligant: Patres Societatis advocant, à quibus amuletîs sacrîs instructus nonnihil quiescere cœpit. Postridie domo exiens sensit se vi arcanâ repente in vallem abditam

ab atro

ab atro cane deductum; sensit offerri sibi hìc cultrum, ibi gladium, quô necem sibi conscisceret. Anxius recurrit ad PP. S. I. rem omnem ordine exponit, cofessione generali conscientiam expiat, priorem quietem recipit, Deo servire incipit ferventiùs. *Ann. S. J.* Postremum imitare, non priora. Quietem conscientiæ amas? Confessione generali conscientiam emunda. Magno hæc erit in morte solatio. Fuge consilia prava, cujuscunque sint ea. Noli ganeas & cauponas diligere; plurimorum enim criminum occasiones in illis reperies. Unde furta, rapinæ, lites, discordiæ, blasphemiæ, otium, tepor in studiis, neglectus pietatis, tristitia parentum, ira demum & vindicta Dei terrifica, nisi ex domuum ejuscemodi accessione deliberata & frequenti? Principiis hic obsta; nec aliorum exempla impia sequere. Anxium te, aut scrupulosum appellent; ride.

10. B. Stanislaus S. Laurentium acceperat in Patronum menstruum cum sententia hac: vigilate & orate, &c. Accepit has tanquam è cœlo voces; ad mortem sanctè obeundam se disposuit, Patroni sui pro ultima horula præsidium enixè imploravit. *Ex vita.* Non casu semper sententiæ in Patronorum schedulis obtingunt. Sæpe vox Dei est. Obsequi nunquam nocet. Memento etiam cultûs Patrono tuo debiti: eum pro

hora mortis tuæ invocare, sedulò labora.

11. Berchmannus eâ exteriore modestiâ preces suas in templo persolvit, ut tanquam ad Aloysium alterum (sic enim vocabatur) multi concurrerent; qui mirabili illâ orantis compositione intimè se commoveri fatebantur. *Ex vita* O utinam non scandalo aliis sit tua in templis conversatio! Res execrabilis; in conspectu Angelorum, atque adeò ipsius Iudicis Dei ea agere, quæ nec præsente Patre aut Magistro tuo auderes! facessat quæso à te omnis garrulitas, irreverentia, libera oculorum evagatio, & quidquid domum Dei dedecet. Templum accessurus actum fidei elice: Vivit Dominus, in cujus conspectu sto, dicebat Propheta. Cogita coram quanto Domino vilis vermiculus compareas, & non poteris vel minimum tantâ præsentiâ indignum admittere.

12. Ildephonsus deinde Toletanus Episcopus à puero duabus præcipuè rebus studuit, castitati nimirum, & tenero erga B. V. affectui. Singulari cultu semper venerabatur Virginem in cœlos assumptam, ad quod festum diu ante se præparare consueverat. Præmium speciale tulit factus jam sacerdos. Nam cum festô illô preces suas manè in templo persolvisset, apparens ei B. Virgo Casulam manu cælicâ elaboratam attulit, atque ad continuandos pro honore suo labores animavit

animavit. *Ex vita.* Imitare. Festum proximè secuturum præcipuâ quadam devotione perage. Dies enim ille est, quô teste S. Bernardo Advocatam præmisit peregrinatio nostra in cœlos, efficaciùs pro nobis intercessuram.

Pultoviensis quidam Sodalis festô Assumptæ Virginis neglectô sacrô & communione, cujus nescio negotii causâ, iter eques suscepit. In via subito velut fulmine tactus, equo excutitur, humi prosternitur, per sex horas jacet quasi exanimis: Domum ad se rediens, culpam pœnamque neglecti Mariani cultûs agnoscit, & palam cæteris profitetur. Iaroslaviensis quidam graviter ab alio, die quodam vulneratus: En ait, primâ vice hodie omisi preces meas ad B. Virginem & omnia infeliciter cedunt Ann. S. I. *Amat B. Virgo exhibita sibi obsequia, odio habet & castigat negligentiam. Tu cave, die ullo consuetas preces omittas: cave festum B. Virginis abire patiaris, quô non devotione debitâ divinum epulum suscipias. Castigare novit negligentiam Virgo potens.*

13. Berchmannus moriturus apprehendit imaginem Crucifixi, Rosarium quod è collo semper tulerat, & libellum regularum. Hæc tenerrimè amplexus, exclamat: Hæc tria mihi charissima sunt; cum his libenter moriar. *Ex vita.* Et quis non cum his libenter moriatur? tam pretiosi cultûs tenens testimonia

quis

quis non libenter ad justi licet judicis tribunal abeat? Nunquid & tu in horum amplexu mori exoptas? Vive cum illis, & morieris cum illis. Sint tria charissima tua, Iesus Crucifixus Iesus Eucharisticus, Maria Virgo, & individua hujus comes, castitas. Hæc jam amplectere; & in horum suavi complexu ad beatam æternitatem emigrabis.

14. B. Aloysius pridie S. Communionis jejunat; de sanctissimo altaris sacramento vel loquitur cum aliis, vel cogitationes eò omnes dirigit, potissimum ultimas vesperi, & primas manè. *Ex vita.* Imitare. Suscipies cras, non dubito, eundem quem suscepit Aloysius: O utinam eadem cum præparatione! majores profectò gratias à Christo Eucharistico experireris. Res horribilis, simul mirabilis: una communio sanctum efficere hominem potest, teste S. Theresiâ. Et nos post tot SS. Communiones in eadem peccata relabimur; iidem sumus, qui antè. Unde hoc? præparatio deest. Hujus memento In primitiva Ecclesia acclamabatur communicaturis: Accedite cum fide, tremore, & dilectione.

15. B. Stanislaus ubique in B. Virginis præconia vigilans fuit: semper titulos, nova nomina excogitabat, quibûs eam laudaret. Filiali planè fiduciâ incitatus literas ad eandem scribit, quibûs incensa animi sui desideria exponebat. Præter miras gratias à B. Virgine obtentas

obtentâs, bis ab ea invisi meritus est, semel etiam divini Filioli amplexu beari. *Ex vita.* Renova hodie devotionem tuam erga B. Virginem. Fiduciâ magnâ eam implora pro hora mortis tuæ; ut inter amplexum Iesu, & Mariæ, valeas expirare. Commenda ei hodie & vocationem tuam. B. Aloysius hoc die enixè rogans B. Virginem pro felici vocatione, voce perceptibili ab ea ad Societatem Iesu vocatus est: ingredere, ajebat, Societatem Filii mei.

16. S. Iustus septennis sponte ad Martyrium properabat, ut pro Dei gloria pati aliquid posset. S. Pastor ejus socius ajebat: Corpus hoc licet tenerum, in holocaustum offeram Deo. *Spec. Iuv.* Obtulisti te sæpe in holocaustum Domino Deo, & B. Virgini: sed si holocaustum est, totum Dei, totum B. Virginis est: nihil ex eo tuum. Cur ergo corpore tuo abuteris, ac si tuum esset? cur linguâ, cur manu abuteris? obtulisti te Deo, non ampliùs tuus es. Si verò rapis ista ex holocausto, time vindictam Dei dicentis: Ego Dominus, odio habens rapinam in holocausto. Propone membra tua, præcipuè linguam, manus, pedes non adhibere ad offensam Dei.

17. Basilius puer Constantinopolitanus moriens ad præsentes sibi Angelos dixit: Expectate, dum decem obulos solvam; ne habeat

beat princeps tenebrarum, in quo me accuſet. *Parad. Puer.* Timuit innocens ille rem tantillam: an tu majora non times? Vereor, ne multa ſint, quæ morituro tibi dæmon ſit exprobraturus. Quid ages? ſic res conſcientiæ jam compone, ut dæmonis objectiones metuere non debeas Aut nihil admitte, cujus te pœniteat, aut admiſſum ritè expiare feſtina.

18. In Bohemia Sodalis æquo propenſiorem ſe ſenſit ad potationes immodicas. Serium emendationis deſiderium oſtensurus primùm vinò abſtinet per B. Virginis octavam: dein examine particulari ipſam vitii radicem aggreſſus eſt. Quoties errorem à ſe admiſſum veſperi in examine reperit, toties acri flagellatione in ſemetipſum ſæviendo vindictam de eo ſumebat. Atque ſic emendatio velox & ſolida ſecuta fuit. *Ann. S. J.* Conſuetudo quævis ut firmas egerit radices, expugnari hac ratione poteſt. Utere ergo hîs mediîs. Quis aliàs ſeria eſſet dicet propoſita toties in Confeſſionibus facta? Examen particulare tibi commendo, ſi quæ potentior in te paſſio viget.

Landelinus adoleſcens piiſſimè à S. Autberto educatus fuerat. Annos jam aliquot ſanctè exegerat: cum parentes ipſi & amici à virtute abducere eum cœperunt, & ad agendam è ſæculi legibus vitam impellere. Obſecutus impiæ parentum

rentum voluntati Landelinus, vitam cœpit priori prorsus dissimilem; demum malorum consortiô, & exemplô ad ipsa furta, & latrocinia exercenda delapsus est. Destinata nox quædam fuit, quâ cum sociis divitis cujusdam domum in villa aliqua expoliaret, iam manus impio operi ab omnibus gnaviter admovebantur. Subitò quo nescio casu, sociorum quidam apoplexiâ tactus humi exanimis prosternitur. Territi reliqui desistunt à consilio impio. Landelinum tristis mortis adeò repentinæ species assiduè agitabat: augebatur terror, dum in somno videre sibi videbatur socium paulo antè mortuum ad æternas inferorum flammas à dæmonibus raptari. Terrore sic undique perculsus adstare sibi Angelum custodem videt, atque hîs ab eo se vocibûs compellari audit: Impie, an & nunc quoque istorum socius esse desideras? vides scelerum præmia? emenda mores: instat vindicta Iudicis. Nec mora: Landelinus in se rediit, periculum agnovit, vitam sceleratam deseruit, pœnitentiam ad vitæ finem usque egit rigidissimam. Pexenf. *1. Societas detestanda quò non deducit? juvenem sanctè à viro sancto educatum ad tam tetra flagitia? & tu non times? 2. Sociorum unus perit, servantur alii. Venerare & time judicia Dei. 3. Moritur infelix in scelere suo. Quæ nunc misero utilitas ex furtis, ex latrociniis? An tu mortem in peccato non times? Eô momentô (imprime quæso tibi veri-*

tatem

tatem hanc) Eô momentô, quô peccas, mori potes: damnari potes. 4. An & nunc socius istorum eris? quærit Angelus. Credis plures hærere inter inferos ob eadem peccata, quæ tu perpetras: & non times ne socius sis pœnarum, qui socius es scelerum? 5. Agit Landelinus pœnitentiam viso alterius interitu. Age & tu. Aut enim pœnitendum, aut ardendum!

19. Berchmannus nocte ultimâ graviter tentatus hîs vocibûs horrorem peccati, quem semper habuerat, testatus est: Egone te offendam Domine? O Maria! ego non offendam filium tuum? absit à me: non faciam. Malo centies mori. *Ex vita.* Voces auro & cedro dignæ! O si tuæ hæ essent! O si frequentes essent! in hoc ostende an ames Deum, & B. Virginem; ut tentatus ad peccatum, fortiter & constanter resistas. Repete in tentationibus voces has: O Maria, ego non offendam filium tuum: malo centies mori. Sic placebunt Virgini cætera obsequia.

20. S Bernardus mulierem incautè intuitus tentationes exinde concepit: has ut domaret, in lacum frigidum collotenus se demergit. Dilinganus Sodalis tentationes similes extincturus nudo corpore se volutat in nivibus; ad cruorem usque se flagellat. *Ex vita. & Ann. S. I.* Tantum à te non peto: leviores tamen mortificationes ut pro Castitate suscipias, & suadeo & hortor. Lilium Castitatis inter

inter spinas pulcherrimè efflorescit.

21. Sodalis quidam Neapolitanus certorum Religiosorum consortium omni studio cavebat, ne pro sua, ut ajebat, arte dicendi, Religionem illam facile persuaderent. Aliquando has sibi audiit allabi voces: Non est, quod de me conqueraris in extremo die judicii. Religioni huic nomen dandum esse prædixi, salutis viam ostendi. Territus adolescens, ingressus est Religionem illam ipsam, quam tantopere horruerat. *Lechn.* Fortè eædem sunt Angeli tui voces: Sit eadem tua obedia: Imple vocationem tuam.

22. Monachii Sodalis admonens alium officii sui, pugnô ab eo percutitur: sed memor concionis de frenanda ira habitæ, alteram etiam maxillam exhibet: Audacior alter, & huic colaphum infligit. Defertur res per alios ad Præsidem, citatur uterque: Jubetur alter alterius pedes osculari. Tergiversatur lædens: Læsus paratissimus ruit humi, parat osculum, sed prohibetur à Præside, volente tantùm hoc actu virtutem coronare. *Lechn.* Quot hic vides victorias? imitare in hoc: Recordare tot exhortationum, quæ in scholis habentur: Imple monita, quæ paternô prorsus animô suggeruntur.

23. Japon quidam Adolescens ad deserendam fidem incitatus, intentatâ etiam morte, nisi Imperatoris ita jubentis imperio obediret,

respondit: Æquum est, ut corpus fructibûs Iaponiæ sustentatum Imperatori dem; faciat is de hoc, quod videbitur: Animam meam Deo transscribo, quem offendere nolo: & minimè æquum est id à me fieri, ut homini Regi placeam. Observa voces ultimas & animo tuo imprime: Minimè æquum est hominis gratiâ Deum offendere. Veritas Christiana est, cui tu toties contrariaris, quoties petente socio, homine quocunque, aut dæmone, Deum offendis; pietatis exercitia negligis. Propone aliud deinceps agere.

24. S. Thomas Aquinas adhuc parvulus sæpè quærit: Quid sit Deus? datâ verò explicatione aliquâ, mirè in ejus amorem exardescit. *Spec. Juv.* Utilior hæc cupiditas sciendi est, ac nonnullorum nescio quæ scire cupientium. Quàm multa petiisti fortè scire ex condiscipulo, ex socio illo, quæ ne cogitare quidem tutò potes! stude deinceps cognitioni rerum divinarum. Si Deum nosses, Deum non offenderes. Si infernum nosses peccatum exhorresceres. Dic cum Augustino: Domine noverim me! noverim te.

Parisiîs Iuvenis vixerat moribûs integerrimîs, subitaneo eoque gravi morbo correptus terribilem agonem sustinuit, Intereà horrenda, & terribili voce exclamat, O miserum me! utinam natus nunquam fuissem! paulò post ait Justâ lance age! post aliquam moram addit

Appone

Appone aliquid de meritis Christi. Demum subjungit: Iam bene habet. Redditus sibi ajebat: Vidi, ah vidi in tremendo Dei judicio strictam adeo rationem exigi de verbis, de rebus etiam minimis; tam accuratè librari omnia, ut salutem meam impossibilem crederem. Revixi tandem per Christi merita; jam lætus morior. Pædag. *Tragicum expectâsti exemplum, & lætum tibi proponi inquies, Studiose: Falleris: hoc ipsum, si expendis, admodum tragicum est. Adolescens omnium judiciô innocens terribilem adeo agonem sustinet; tremendam adeò justo Iudici rationem dare cogitur: Quid tu tibi polliceris? Ah non credis, non credis, quàm stricta de minutis omnibus reddenda sit ratio. Time, time rationem terribilem, quam reddere cogeris de tot annis malè impensis; de tot Parentum sumptibus, &c. Sic vive, ut justo Iudici respondere queas.*

25. Berchmannus ajebat: Quo ad Mariam diligo, de salute mea certus sum. Hujus amore indies Rosarium & Officium persolvit. Ad successum verò felicem rei alicujus impetrandum, Statuæ ejus schedulam aliquam affigit, in qua sic scripserat: Si obtinuero hoc beneficium, orabo tot Rosaria; peragam tot SS. Communiones &c. *Ex vita.* Cliens Mariæ nullus æternùm perit. Sperare de salute tua optimè cogor, quamdiu Mariam à te verè diligi video. Imitare, quotidie pensum

Marianum solve. Pro successu felici rei alicujus ad Mariam abi.

26. S. Agapitus Martyr annô ætatis decimo quintô, cum fidem ejurare nollet, igni addicitur comburendus: Carbones ignitos ipse capiti imponit dicens: Non est magnum, si caput hoc coronandum in cælis, ardeat in terris. *Ex vita.* Spe præmii animabat se ad toleranda tormenta. Tu cur longè leviora nauseas, cum idem tibi à Deo præmium sit promissum? Renova propositum laborandi pro cœlo.

27. In Polonia Adolescens quidam diutiùs ex tepiditate & rerum sacrarum tædio abstinuit à Misteriis sacris; hinc mores contraxit eos, quos in ejuscemodi adolescentibus prô dolor! indies intuemur. Adest ei de nocte Custos Angelus, & manu designans locum in Tartaro, spectrîs & ignibûs horribilem, ait: Si moram adhuc facis, mox detruderis. Expergefecit hoc Iuvenem in sua socordia stertentem, atque ad frequentiùs suscipienda sanctissima Mysteria incitavit; unde vitam sanctiorem vivere exorsus est. *Ann. S. J.* O quoties idem tibi per inspirationes internas loquitur Angelus! exhibet damnationis periculum; designat orcum, si tardes converti ad Dominum. Tu quid agis? an eô modô obsequeris quô adolescens ille? incipe saltem hodie, & seriò convertere ad Dominum:

num: Relinque occasiones illas peccandi: Cave ullum unquam te tædium capiat sanctissimorum Mysteriorum; cave statuto tempore negligas. Vox Dei est: Qui se elongant à te, peribunt.

28. Apud Panamenses Iuvenis post annos non paucos in sceleribus exactos, unam de æternitate concionem amicitiæ causâ accessit; eâ sic commotus est, ut eô adhuc momentô vitam priorem correxerit. *Lechn.* Imitare: Conciones accede non quidem amicitiæ, sed salutis causâ. Una sæpè sententia fuit, quæ obstinatissimos peccatorum animos emollire potuit. Cave ergo imiteris eos, qui concionibus se subducere clanculum solent. Vox Christi est: Qui ex Deo est, verba Dei audit.

29. Iuvenis quidam Perillustris, Viennæ, Patri Carolo Muslart narrabat, quos jam gradus honorum esset assecutus, & quos adhuc speraret. P. Carolus post narratos singulos ajebat: Et postea quid? deinde quid? in fine demum subjunxit: Denique mors, mors demum sequetur. Hac voce, & mortis meditatione in alium à se conversus Iuvenis terrena omnia valere jussit; eò se contulit, ubi certiùs honores perpetuos daretur obtinere. *Ann. S. J.* Mori memento. Cogita: Post hæc quid? post gaudia tua; post otia; post dies & annos genio datos quid? quid

sequetur? Mors. Hæc te saniora docebit consilia: hæc ad vitam sanctam impellet: hæc in ea te conservabit. Conservavit præter innumeros Liffardum quendam. Is vitam sanctiorem pertæsus, reditum meditabatur ad sæculum. Noctu visus ei est Angelus; surgere eum jussit, & se præeuntem sequi: ducebatur ab Angelo ad cœmiterium, & cadaver unum ex alio intueri jubebatur. Ostensô unô recenter sepultô ajebat Angelus: Vides hunc hominem? citò talis eris. Cumque ad alia rursus cadavera ducere Liffardum vellet, reposuit iste: Parce mihi Domine, parce; non enim possum illa videre. Cui Angelus: Si non potes hoc, quod citò eris, videre, cur vis de portu salutis recedere; si vis, ut parcam tibi, promitte mihi, quod non recedes ab hoc loco. Promisit illicò, & fervore novo vitam sanctam inchoavit, neque ab ea unquam destitit. Memento mori. Fortè in propinquo est mors? cur vitam sanctè cœptam deseris?

30. Berchmannus quæsitus in morte, an rationes suas sic composuerit, ut mortem non timeat: Respondit: Si tempus in mea potestate esset, per aliquot dies facerem exercitia; si autem hoc non daretur, tamen libenter morerer. Quæsitus, an nullâ re angatur, nullius peccati sit memor? reposuit: Paratus sum mori. *Ex vita.* Felicem te,

si tales

si tales esse possint tuæ in mortis articulo voces, ut esse possint. Compone tuas cum Deo rationes per confessionem generalem, dein per quotidianum examen, & confessiones ordinarias serias. Uti solum peccatum in morte angit, ita solum solatio est conscientia emundata. Huic ergo stude.

31. Guilielmus Adolescens in Aquitania gravem morbum contraxerat, quem patientissimè toleravit. Die quodam duo Angeli, Tutelaris alter, alter Sodalitatis eum invisebant sic dicentes: Guilielme, bono animo esto. A Deo & Dei Matre missi sumus, ut tibi morienti solatio simus. Placuit Deo integritas tua & exacta legum observantia, præcipuè circa accuratam SS. Mysteriorum susceptionem. Animam tuam Sabbathô proximô cælis inferemus. Narravit hæc Iuvenis, & statuto die lætus obiit. *Man. Sod.* Ecce remuneratur B. Virgo exactam legum observantiam, & integritatem; hanc cole, & B. Virginis favorem certò tibi conciliabis. O quæ felicitas tua in morte, si à B. Virgine tale tibi concederetur solatium. Vivit adhuc eadem clemens Mater; invoca eam.

Orentius Iuvenis festô S. Theclæ è templo redux, dum Ecclesiæ ceremonias aliaque similia prædicari ab aliis audit; ipse; Mihi verò, ajebat, una mihi res perplacuit; una oculos meos rapuit ut cæterîs in templo omnibûs omissîs huc

solùm cogitationes meas dirigerem; rogabam etiam S. Theclam, ut hujus unius venustate frui mihi liceret: Nefandas & audiendas in orco preces! abiit dies inter jocos turpes & potationes, somnô & vinô graves cubitum discedunt impii. Orentio dormienti objicitur species S. Theclæ aureo Throno considentis, & munera cultoribus largientis: quæ demum & Orentii precibus se condescensuram ajebat, & donum flagitatum impertituram. Nec mora: Obiicitur spurcæ puellæ in templo visæ forma; Orentius sui vix compos ruit in amplexus, osculatur furiam. Sed ecce Venus ista in horrificam subitò Harpyiam versa, in Orentium metu attonitum involat, cutem à capite ad calcem diripit, tanto cubiculum fœtore implet, ut alii ibidem dormientes tantum non exanimarentur. Ortâ luce excoriatum suo innatans sangvini cadaver repererunt. Quo aspectu, & similis sibi impendentis supplicii metu perculsi, vitam impiam detestantes, cœpêre sanctiorem. .Pexenf. *Varia habe, quæ discas.* 1. *Accedere ædes sacras non ad colendam Dei majestatem, sed pascendos protervè in spurca forma oculos, ô quàm abominandum, quot tartarîs dignum! qui templum Dei violaverit, disperdet illum Dominus: Templum accede precum studio, non alio ex fine; aliàs væ animæ tuæ! in templo oculos non formæ diabolicæ, sed Deus solus habeat in se defixos; aut certè modestè compositos tene.* 2. *Mo-*

momentaneam

mentaneam & imaginariam tantùm voluptatem æternis inter inferos ſuppliciis luit Orentius. Ubi tu lues eas, quas fortaſſe in ſcelere ſimili ſectaris delicias ſpurciſſimas? Audeſne & tu impuro oſculo conſecrata Virgini caſtiſſimæ labia inquinare? audesne manus toties ad Deum elevatas in amplexus ejuſcemodi periculoſos, ſodali indigniſſimos, extendere? tu ſodalis! Mariæ conſecratus! abſque pudore & ſtimulo conſcientiæ! tot etiam vicibus audes! Erit, erit Harpyia infernalis, quæ ſi non in orbe hoc ad aliorum terrorem certè inter inferos æternùm te dilaniabit. Perge, & B. Virginis, cujus ſodalitati nomen dediſti, amorem perfidè adeò & ſacrilegè unius alteriusve perſonæ: (cœlites! hæc ego ſodali Studioſo dicere cogar?) poſtpone. Noverit illa impiè contempta dignum rependere ſupplicium.

Anni Sancti Mensis nonus September.

1. ADoleſcens è ſeptem Machabæis illis, de quibus Scriptura refert, primus, ad violandas Dei Leges per eſum carnis incitatus, ſic reſpondit Antiocho Regi,

Quid quæris, aut quid vis discere à nobis? Parati sumus magis mori, quàm patrias Dei Leges prævaricari. Verbis fidem fecit mors maximô animô tolerata. *Ex L. Mach.* Non desunt tentationes ad violationem legum. Audiatur ex te vox illa: Paratus sum potiùs mori, quàm hanc Dei, hanc Sodalitatis legem prævaricari. Sed verbis facta respondeant.

2. Sodalis Halensis ubi tentari se à dæmone advertit, reposuit: Cor à me petis dæmon? non illud ultra habeo: jam Deo meo consecravi. Alius Landishuti sic ajebat tentatus: Iuravi, ô Domina, me nunquam te derelicturum, aut contra te aliquid facturum quomodo ergo hoc facinus audeam? Aliis nihil frequentiùs fuit, quàm repetitâ sæpe Marianâ formulâ, aut renovatô Castitatis votô, aut Sodalis Mariani nomine velut scutô, tela nequissima à se arcere. *Flor. Mar.* Ecce varios tentationes excutiendi modos. Hos amplectere; gratiam addet Divina bonitas. Elige, quô præcipuè modô posthac uti velis.

3. B. Stanislaus mirâ prorsus devotione & fervore preces persolvit. Facies orantis ignita plerumque & æstuans apparebat. Eousque verò orationem produxit sæpiùs, donec vires animum deficerent. Attentio pariter arctissima erat; quippe ne vel momentulum tem-

poris

poris distractiones sibi rapiebant. Idem prorsus de Beato Aloysio legitur, qui gravius sibi esse ajebat mentem à Deo avocare, quàm hanc ei tenere affixam. *Ex vita* Rara profectò privilegia cælitus concessa. Tu tempus Orationis lætô & alacrî animô amplectere: tædium & distractiones excute: Reverentiæ exterioris memento.

4. Adolescens quidam vitæ liberioris ob neglectas Sodalitii leges frustra monitus, Sodalitate ejectus, magnîs ad Tartara passibûs properabat. Nocte quadā ut conscientiæ stimulos placaret, cujus nescio turpis libelli lectione animum divertere quærebat. Sed ecce tibi! fragore subito concuti ostium conclavis & recludi, intrare gigantea mulier vultu horrido, hispido habitu, manibûs pedibûsque in ungues desinentibus. Furiam diceres avernalem. Hiante interim, tremente, ac cœlitum Reginam inclamante juvene, sic Furia illa: Frustra est: frustra eam appellas, à qua, ubi Sodalitium deseruisti, vicissim desertus es, meæque potestati traditus. Meministi neglecta Sacramenta? contemptas Leges Marianas? Spreta monita? impiorum consortia? pudorem profligatum? ob hæc & alia scelera potestati meæ es traditus, rapiendus jam ad inferos. Dixit, & ungues exeruit fatale monstrum, in miserum irruit. Repetit ille, & qua voce potest, exclamat:

Sancta Maria Mater Dei & Virgo, ego te in Dominam in Patronam eligo. Et vide Virginis clementiam! Adest illa, vultu quidem velata; jubet bono animo esse, Confessionem seriam parare, Sodalitati se reddere, vitam emendare. Obsecutus in omnibus adolescens vitam deinceps egit longè sanctissimam. *Hort. Mar.* Mariam si deseris, à Maria vicissim desertus es. Sed quid est à Maria deseri? quò ibis à Maria desertus? An non eadem tibi in morte scelera dæmon objiciet? quo tuo metu? jam fuge, ne objicere possit. Specialem experitur favorem juvenis hic: tu sperare disce, sed non præsumere. Favorem Marianum cupis? Age quod Maria juvenem hunc monuit.

5. S. Iacobus, quem Intercisum vocant, cùm Christi fidem deserere recusaret, jussu Isdegerdis Tyranni membratim concisus est. Terribile hoc supplicium, futuræ gloriæ spes certissima consolabatur. Sic enim membra sua Heros inclytus alloquebatur: Ite, ite membra; tolerate dolores pro Dei gloria: erit, cum recipiam vos mirabili splendore decorata. *Ex vita.* Res est, quæ animare te in quovis tædio & labore possit, futuræ gloriæ memoria. Manus tuæ, pedes, oculi, si Divino cultui consecrentur, fulgebunt luce mirabili in perpetuas æternitates. Ne pigeat igitur ea, in oratione, in studiis, in templo

ad Dei

ad Dei gloriam impendere.

6. S. Trudo liberiorem sociorum vitam liberrimâ voce arguebat. Idem egit S. Fridericus, præsertim si quem in æde sacra ridentem conspexit aut indecorè fabulantem. Uterque Dei offensam impedire laboravit, neque aliorum dicteria aut risus curabat. *Spec. Juv.* Scilicet, Deum amanti res intolerabilis est videre offensas Dei optimi, & tacere. Quantum subinde una amici monitio prodesse posset! quot peccata impedi-dire! si carpere & monere refugis, defer ad eum, qui ad id ex officio tenetur. Nosti hoc aut illud inter condiscipulos tuos flagitium: audis sermones pudori inimicos: scis conventicula pericula? Taces? serpet flagitium; lues pestifera totum fortè Gymnasium corripiet, antèquàm Præsidi innotescat. Quid respondebis Deo, tu tot scelerum per reticentiam maledictam reus? An dices, cur aliorum odia mihi concitem? quid ad me? studiose: Qui Deum amat, is nullius hominis odium, quin nec ipsam mortem in Dei causa, formidat. Vel ipsam mortem lætus obibo (dicebat Sodalis quidam à suis ægrè plagîs acceptus, quòd condiscipulorum quorundam flagitia ei, cui debebat, aperuisset) si peccatum vel unicum impedire, sic mihi liceat.

Spiræ in Germania sæculo priore Iuvenis nimiè

mio auri studio & amore accensus nuptias cum Heterodoxa parabat. Iter ad consilium impium erat, tepor in susceptione SS. Sacramentorum & cultu B. Virginis. Monetur miser: intentantur minæ. Non movetur. Aurum excæcaverat miserum & vita, quam jucundissimam speraverat. Verùm delusit spes concepta juvenem infelicem. Vix etenim voti impii compos factus, repentinô morbô prosternitur, atque intra triduum contabescens, nullô datô pœnitentiæ signô miserrimè exspirat. Ann. S. I. *Non impunè contemnitur Deus. Aurum pro fide & pietate erat juveni cæco: ergo pietatem & fidem perdidit: aurô acquisitô frui non potuit. Sors misera hominis Deum quocunque demum proposito bono deserentis! An non deseris & tu? si peccas graviter, Deum deseris. Et quantilli spe boni deseris? Tacet jam Deus, quia patiens est; erit, cum puniet, quia Iudex justissimus est.*

7. Chilensis Sodalis non antè S. Communionem accedere solitus fuit, quam post diuturnum jejunium, noctemque orando traductam. B. Aloysius post susceptam S. Eucharistiam à fratre è templo per famulum evocabatur: at ille nonnisi elapsîs duabûs horîs obsecutus est, dicens: Deum propter homines deserendum non esse. *Ex vita & Ann. S. J.* Habes quæ ante & post S. Communionem imiteris. Quò major præparatio, eò uberior gratia. Noli mirari, si post tot

SS. Commu-

SS. Communiones exiguam advertis morû emendationem. Præparatio tua qualis sit, vide. Conare deinceps esse ferventissimam. Opus grande est, neque enim homini præparatur habitatio, sed Deo. Post S. Eucharistiam susceptam, fac congruum semper tempus impendatur. O quàm acerbîs digna lacrymîs eorum hominum cæcitas est, qui nobile adeò tempus in suum commodum adhibere non sciunt! Statue hìc, quod animæ tuæ utile est, & in crastina S. Communione opere ipso exhibere incipe. Fructus respondebit æternus.

8. Berchmannus in tentatione ad B. Virginem recurrens ajebat: Ne me deseras, ô Maria, ne me fallas. Filius tuus sum: Tu scis quia juravi. Item: Testor me velle vincere & mori ut verum Mariæ filium. *Ex vita.* Nata est hodie Maria Virgo. Nascatur in te novus in ejus honore & amore fervor. Eam tu velut Matrem venerari statue. In quo verò te filium ostendes? In eo certè, si quæ filius Matri debet, eidem exhibeas. Filius Matri debet reverentiã, amorem, obedientiã. Reverere, ama Mariam: obedi voci ejus: eam non offende. Divinum oraculum est: Maledictus, qui exasperat Matrem suam. Illud etiam nota: In tentatione memor esto, quid B. Virgini toties promiseris; scilicet: nihil te dicturum aut facturum contra B.

Virginem.

Virginem. Hujus memor, tentationi fortiter resiste.

9. S. Edmundus Castitatem votô promissam conservaturus, præter constantem B. Virginis cultum hæc adhibuisse legitur media: 1. Mulierum consortia, multò magis munera ab illis fortè submissa velut pestiferas quasdam incantationes aversabatur. 2. Abstinentiæ prorsus mirabili, & quidem à puero studuit; quâ non modô delicata quævis respuebat, sed pane, sæpe solo & aquâ vivebat. 3. Mortificationis diu noctuque memor fuit, ubi ubi demum sese offerebat occasio. *Ex vita.* Castitatem Angelicam servare velle, & similia velut dura nimium aut incongrua rejicere, insanire est. Examina hodie quid tu pro defensione virtutis hujus præclarissimæ agas? quid deinceps agere velis?

10. Patroclus, Adolescens quidam â proposito vitæ sanctioris consilio per oblatas mundi vanitates avocari sensim se permiserat. Cum ecce ab Angelo Custode ei in somnis exhibentur innumera salutis pericula, gravissima beatitudinis impedimenta, quæ in sæculo occurrerent. Vix ista conspexerat, & alium planè se sensit. Evanuit omnis mundi amor: revixit propositum primum: mundo valedixit; salutem in sanctiore statu quæsivit & reperit. *Lechn.* Tuum est in e-

lectione

lectione ſtatûs ſalutem & ejus pericula æquè ac media attendere. Non eligendus eſt ſtatus qui magis arridet vel tuo, vel parentum genio; ſed ubi ſalutem tuam ſecuriùs operari te poſſe exiſtimas: Si divina bonitas è Sodoma ſæculi hujus exire te jubet, tu verò miſerîs ejusdem illecebrîs ineſcatus, vocanti Deo morem non geris: Væ animæ tuæ! miſeræ ſunt illecebræ, ubi tot pereundi pericula. Finem ſpecta, ſalutem tuam; hæc quod jubet, exequere,

11. B. Aloyſius conſuetâ dùm volebat, mortificatione non contentus, morti proximus flagellum adhuc petiit, quo in ſe animadverteret. Quæſitus verò, an non angeretur, quòd vitam ſuam nimiîs mortificationibûs abbreviaſſet, repoſuit: Nullatenus angor. *Ex vita.* Non angeris & tu in morte, ſed ingens hauries ſolatium, ſi recordari poteris mortificationum licet levium in cibo, potu, ſomno aliiſque rebus ſuſceptarum. An verò ſolatiolum hauſturus ſis recogitans tecum gaudiola & commoditates, quibûs non ſine Dei offenſa jam frueris, tumetipſe judica. Non memini legere fuiſſe aliquem, qui in morte ſolatium ex otio? ex illicitis conſortiis, ex divinorum incuria ſenſerit. Hoc legi, fuiſſe, qui morti proximus ſic condiſcipulos ſuos allocutus eſt, & Deum: O mi Deus, quare neglexi? quare tot con-

ceſſos

ceſſos mihi dies vanîs locutionibûs impendi? cur meipſum neglexi? O vos omnes, qui adeſtis, qui florem juventutis adhuc & tempus habetis, me reſpicite, meoque periculo & damnô ſapite. Ita iſte è lecto velut cathedra ad ſuos loquebatur teſte Cæſario. Altùm hæc tibi imprime, & ne eadem deplorare cogaris, Aloyſium jam ſequere: pro horâ mortis ſolicitus, nulla horre aſpera; nulla difficilia in Dei obſequio occurſura.

12. S. Antonius poſtea Patriarcha de rebus Divinis libentiſſimè loquebatur cum ſuis. Hauſerat ex lectione ſpirituali axiomata quædam ſacra quæ ſociis frequenter ingerebat: qualia erant hæc: Nihil magnum niſi quod ad immortalem gloriam ducit. Berchmannus ſic cum ſuis convenerat, ut de rebus ſacris loquerentur, narrando exempla, quæ è lectione ſacra hauſerant. *Ex vita.* Hæc ſcilicet loquela Sanctorum eſt: hanc diſce. Turpiloquium & omnis immunditia ne nominetur in vobis, ait Paulus.

Sæculo priore Iuvenis quidam puellam quandam inſanè deperibat. quam cum ratione nullâ ad Dei offenſam poſſet impellere; Necromanticum hominem accedit, pecuniam ei offert, ſi cupiditatis nefandæ explendæ occaſionem procuraret. Ille juvenem circulô per pavimentum ductô includit, ſeverè imperans, ne ſuo injuſſu aut manum inde emoveret. Mox ad ſtygias

adjurati-

adjurationes conversus varia oculis ſpectra exhibet. Tandem ipſa personæ imago repræsentatur. Iuvenis ſcelerato æstu victus, præcepti immemor, manus in amplexum expandit. Nec mora; à dæmone arreptus parieti alliditur, fluenteque cerebro exanimis raptatur ad Tartara; æternas imaginariæ voluptatis pœnas daturus. Nonelli. *O momentum quod recreat! ô æternum, quod cruciat! ô verè paululum mellis, quod guſtare voluit improvidus, & æternùm periit. Diſce quid ſit cogitatione etiam unicâ Deum offendere. Una cogitatio, deſiderium unum turpe, te deturbare ad ſtygem poteſt. Ah expavesce, & occurrentes animo cogitationes periculosas illicò expelle. Vivit adhuc juſtus ille & terribilis Deus, qui eâ ipsâ quâ peccatum paras horâ, æternis te poteſt adjudicare ſuppliciis. Time! cave!*

13. Nobilis in Belgio Adoleſcens parente mortuo opes omnes decoxerat. Ergo patriâ egreditur: Villicum comitem aſſumit, hominem impium. Quærebat hic ex juvene, an opes recuperare vellet? & annuentem ad nemus de nocte adducit, ſiſtit dæmoni ut famulum recens auctorandum. Dæmon vim auri ingentem promittit, ſi Deum ejuraret juvenis. Obſequitur miſer. Inſtat dæmon, ut & Mariam ejuret. Tum enimverò exhorruit, idque ſe facturum negavit dicens: Potiùs oſtiatim ſtipem mendicabo, quàm

Mariam

Mariam ejurem. Hæc ubi protulit, IESU & Mariæ nomina inclamans, dæmonis insidias evasit. Postridie ad B. Virginem confugiens, errorem acerbè deplorans, per eam mirabiliter divino Iudici denuò conciliatus est. *Fusè. Hort. Mar.* Ejuras Mariam, quoties peccas graviter: & tamen facilis adeò es in re horrifica? Agnosce & detestare scelus, & novum concipe pro futuris feriis propositum: Potiùs stipem mendicabo, potiùs omnia agam & patiar, quàm Mariam ejurē; quàm hanc, vel filium ejus offendam. Constans etiam esto in persolvendis iis, quæ magnæ Matris honori offerre soles indies. Infelicem cense diem illum, quô Mariam non colis.

14. Emmanuel Goensis Sodalis, à Saracenis captus, ad fidem deserendam solicitabatur: Hic verò: Potiùs, ajebat, omne supplicii genus subiturus sum, quàm IESUM & Mariam negem vel deseram. Neque generosiùs dixit, quàm fecit. Mortem accerbissimam æquissimô animô toleravit. *Pexenf.* Et quando similem ex te vocem audiet Custos Angelus tuus? quando simile spectabit constantiæ exemplum? Non tibi admoventur gladii, non intentantur supplicia, ut Deum, ut B. Virginem deseras & offendas. Levis tentatio est, leve tædium; horror difficultatis; amor commoditatis, &c. & Deum, & B.
Virginem

Virginem deseris, proposita toties facta violas, peccata repetis. Hicne tuus in B. Virginem amor? surgat tandem in animo tuo fervor imitandi gloriosos adeò prædecessores tuos Sodales. Statue hodie constantiam in pietate, in studiis, &c.

15. B. Aloysius hoc fecit servavitque propositum: Nunquam eò inducar, ut amore Patris, Deum offendam: potiùs cum Patris inimicitia in exilio per orbem vagabor, quàm in re minima à Dei voluntate discedam. *Ex vita.* Quam tu de Dei amicitia æstimationem habes? ostende hoc, dum invitaris à sociis ad loca illicita; ad peccatum. Non dubita eos offendere, illis displicere, ne Deo displiceas. Nihil age in gratiam hominis, quo Deum offendas. Quid enim proderit tibi totius mundi favor, si favorem Dei perdideris. Hoc solum à te rogo, ajebat Sodalis quidam moriens, ne tuus hostis fiam, ô Deus! & ne projicias me à facie tua.

16. Crispus Constantini Magni Filius, raræ venustatis & fortitudinis, rarioris innocentiæ adolescens erat. Novercam habuit Faustam. Hæc scelesto amore accensa nil tale suspicantem Crispum ad diabolicum flagitium pellicere ausa est. Exhorruit castitas Crispi ad petitum impudens, animqôue generosô & preces Faustæ, & minas conculcans, fugâ sibi consuluit. Fausta amore in odium

odium verſo, innocentem Criſpum ſceleris graviſſimi apud Conſtantinum accuſat; à quo non auditus, oblatô in cibis venenô trucidari juſſus eſt. Mortuus eſt innocens, mori malens, quàm turpi adeò ſcelere ſe obſtringere. Innocentia ejus ab ipsa Fauſta orbi manifeſtata, æternùm honoratur in cœlis. *Pexenf.* Non abſque cauſa toties generoſa ſcelerum fuga inculcatur. Peccatum fuge, & ſalus tua in tuto eſt. Heroô opus eſt animô, dum tentatio occurrit. Nec preces hìc, nec minæ curandæ. Cœlum reſpice; illic æterna generoſo animo merces paratur. Quid prodeſſet Criſpo, ſi peccato olim conſentiens, jam hæreret inter inferos? idem tibi proderit.

17. Theodorus poſtea Siceorum Archimandrita, adhuc puer, viri cujusdam ſanctitatis famâ illuſtris Stephani, virtutes, præcipuè mirabilem inter cibos delicatiſſimos abſtinentiam imitari ſtuduit; attentô ſemper oculô eum obſervans. Multis ideò favoribus à S. Georgio ad conſtantiam animatus legitur. *Spec. Iuv.* Placet Sanctis eorum imitatio: Huic ſtude, & majores Sanctorum favores in neceſſitatibus tuis experieris. Attende etiam pia Studioſorum tecum viventium exempla, & ea æmulare; aut certê propoſita indies documenta amplectere.

18. Anonymus inſcio Patre cœnobium ingreſſus

ingressus monebatur per literas, ad patrias ædes ut rediret. Gaudia & libertatem promittenti Patri sic filius sapiens respondit: Legem moriendi è patria nostra tolle, ô Pater, & revertar illicò: hanc si non tollis, ignosce, si ad mortem me paraturus in cœnobio remaneam. *Drexel.* Memoria mortis sanctiorem vitam persuasit: Hæc nauseam terrenorum injecit. Moriendum est & tibi. Quæ tua est præparatio? an felicem tibi hac ratione mortem promittis? Examina hodie, quid in morte egisse optares, & hoc age. Suasit S. Ignatius deliberaturo, ut eum statum eligat, quem moriens electum à se optaret. Sequere monitum S. Patris.

Tragicum revera Societatis maledicta fructum vidit Græcium in Styria. Adolescens castissimæ primùm vitæ, unius improbi consortiô eò paulatim deductus est, ut dæmoni se certîs legibûs devoveret. Devovit se; plurimîs in sceleratissima vita annîs perseveravit. Nihil frequentia in scholis monita, confessiones & communiones in templis, nihil Dei minæ obstinatissimum juvenis animum flectebant. Comprehensus denique à Magistratu sæculari, morti adjudicatus est. Felix in eo, quod ad hanc, quantum quidem judicari poterat, solicitè se disposuerit. Mortuus ergo est inter manus carnificis, qui ætate primâ exemplar omnium erat & gaudium. Ann. S. I. *Ah infelix æq; & frequens mutatio!*

Scelerata

Scelerata ſocietas ô quoties ex Angelo Sathanam efficit! Actum eſt de pietate tua, de ſalute, ſi hac in re tibi non caves. Studioſe, huc curas omnes converte, ſalvari ſi cupis. Deteſtare, conſortia quæcunque ſuſpecta: aliàs te paulò poſt intuens lugebis ſubitò mutatum ab eo qui eras; id eſt ex innocente factum nocentem, ex Angelo Dæmonem. Neque enim ſcelus adeò dictu cogitatuve horrificum eſt, quod admittere horreat ſeductus juvenis.

19. Friburgenſis Sodalis admiſſo ſcelere quodam terrificîs conſcientiæ ſtimulîs agitatus, quò ſe verteret ignorabat. Urbem deſerere ſtatuit; viam aggreditur, ad ſilvam pervenit. Adeſt Dæmon virum ſenem mentitus, comitem ſe jungit: Cauſam viæ inquirit; multa, ſi ſequi vellet, promittit; contemptim de uſu Roſarii & cultu B. Virginis loquitur; verbô, quis eſſet, apertè nimiùm manifeſtat. Majore perculſus horrore fugam parat juvenis, nec niſi Sanctîs nominibûs inclamatîs inviſum comitem à ſe abegit. Tum in ſe regreſſus inſpirationi internæ obtemperans pudorem vincit, peccatum in confeſſione exponit, optatam illicò quietem conſecutus. *Flor. Mar.* Fruſtra est, ſi conſcientiæ turbulentæ aliud quàm à confeſſione remedium quæras. Peccaſti? ejice quamprimùm ex anima hoſtem tartareum. Præſtat modicam ſubire moleſtiam, quàm continuis

tinuîs conſcientiæ ſtimulîs agitari in vita; æternùm torqueri poſt vitam.

20. S. Elzearius ſic ſemetipſum allocutus legitur: Mariæ cliens ſum, ergo malè perire, aut cœlo excidere non poſſum. *Ex vita.* Idem tibi promitte, ſi verè cliens Mariæ es. Verus cliens Mariæ, Mariam non offendit: omnia ei diſplicentia removet. Quid tu? An perges Mariam offendere peccato hoc? hac conſuetudine pravâ? Cliens Mariæ non es, malè, itaque ſaluti tuæ metuo: Niſi hodie incipias te clientem tantæ Virginis. exhibere.

21. Aletinus quidam Sodalis poſt exactam cum ſingulari laude pueritiam, mores planè alios Sociorum ſcelere ſeductus, induit. Ibat jam per ſcelera præceps; cum nocte quadã ſemiſopito terribile apparet monſtrum, æthiopem referens: Hoc ungues jamjam exerere, involare in miſerum, fauceſque ei elidere videbatur. Non habens unde opem peteret, infelix juvenis Virginem à ſe deſertam invocat. Apparet hæc ei, timoremque ſimul & ſpem hîs vocibûs ingerit: Mox cruentas æthiopis manus ſenties, niſi ad priſtinum vitæ genus revertaris. Revertere! Confitere! reverſus eſt poſtea, & præſentis perculſus timore periculi, vitam vivere cœpit eam, quæ B. Virginis opem certiùs promitteret. *Sod. Parth.* Vides amorem B. Virginis? vides & minas, An non hîs ipſis te

vocibus compellat: Pœna imminet: Immi-nent Tartara! convertere seriò. Age pœnitentiam! esto constans! Deus non irridetur! mutanda est vita: Sic ad cœlum non itur. Sensisti tales in animo voces: cujus erant? Matris clementissimæ. Non vult illa interitum tuum: non vult mortem tuam. Convertere ergo exemplô Sodalis hujus, & posthac Deo vive & animæ tuæ.

22. S. Bernardus adhuc adolescens ab impiis quibusdam ad scelesta tentatus, voce maximâ exclamat: Latrones! latrones! & sic clamans, eos in fugam conjecit. *Ex vita*. Latrones sunt, qui insidiantur Castitati tuæ: latrones, qui ad illicita invitant: latrones sunt, licet intimos se amicos nuncupent, vitam tibi rapiunt, & innocentiam. Fuge illos. B. Stanislaus eos, quos proniores ad impia advertit, non secus ac pestem devitabat. Edmundus idem fecit, recessit à sociis suis, & tum temporis à Christo Domino visitari meritus est, & instrui. B. Aloysius piis solum associari voluit. S. Hermenegildus mori maluit non susceptâ etiam SS. Eucharistiâ, quàm cum Ariano impio habere commercium. *Ex Vita*. Declina ab illis, qui animæ nocere possunt: eorum aucupare Societatem, qui bono exemplo sunt cæteris.

23. Neoburgensis Sodalis audiens peccari posse turpia audiendo, de consilio Confessa-

rii sui

rii sui votum fecit fugiendi auditionem ser-monum turpium. Cum verò postea in soci-os inhonesta effutientes incideret, spreto aliorum risu aures digitîs occludit, fugit è cubiculo. Eustadianus similes sermones & à Patre quidem audire coactus in convivio, cum monita nihil prodessent, relictô pran-diô discessit: Patrem etiam objurgare ausus erat, quòd effronter adeò loqui non erube-sceret. Excanduit Pater, & manum ad in-fligendum colaphum extendit, filius mox & alteram maxillam præbet, addens, se Dei Castitatisque tuendæ gratiâ non verbera solū, sed & vulnera ferre paratum. Quô dictô Pater manum retraxit, veniam erroris à Deo & filio petiit. *Flor. Mar.* Rideant, qui vo-lunt: tu ubi sermones tales audieris, aut se-verè increpa, aut fugam arripe. Periclitatur Castitas, si liber pateat sermonibus per aures accessus. Una sæpe vox inconsideratè audi-ta, innumerarum tentationum, ipsiusque postea interitûs causa fuit. Fuge.

24. B. Aloysius licet ab omni graviore la-be purissimus semper vixerit, in innocens tamen & tenellum corpus suum flagellîs ci-liciîsque ad cruorem usque adeò desæviit, ter saltem septimanîs singulîs; ut fidem le-gentium audientiumque superet. Monitus à matre, modum ut poneret crudelitati im-maturæ, respondit Angelus: Permitte Ma-

ter, ut tantillô impendiô noxas meas redimam. Oratio flagellantis hæc erat: Domine Iesu pro me ad columnam plagîs concise, offero tibi hoc suppliciolum meum, rogoque per sangvinem tuum, ut des mihi gratiam ad vitandas offensas tuas, &c. *Ex vita.* Quis animus tuus? Non stupes tantum in puero animum? non erubescis ad has Angeli voces? innocens erat: labeculas minimas tanto rigore expiabat. Tu majorum scelerum reus quid agis? nihil, & tamen idem cœlum desideras, quod Aloysius? si tibi flagelli usum suaderem, quid diceres? sanè aut Iuventus nostra insanit, aut insanivit Aloysius cum sanctis aliis Adolescentibus, qui mortificationes ejuscemodi sibi omni tempore familiares habuêre.

Adolescens peccatis turpissimis assueverat, sæpe eadem confessus; sæpe in eadem relapsus fuit. Confessarius post frequentes monitiones vi se quadam verbîs, quibûs poterat, efficacissimîs, persuadere conabatur misero, ut tandem conatu serio in peccati extirpationem incumberet. Audiit adolescens, & ductô intimè suspiriô; Pater, ajebat, quid diutiùs dissimulem? dicam paucîs: Non possum me emendare: non possum hoc peccato abstinere. Consuetudo altas nimiùm egit radices. Actum est. Territus hac voce Confessarius nihil non egit, ut vel terrore vel spe, miserum à mente hac abduceret. Sed frustra egit.

semper

semper enim reposuit: Pater, si vel apertos hic inferos viderem, meô tamen peccatô abstinere non possem. Quê dictô sinè Absolutione dimissus, in peccatis perrexit liberè, mortuus miserrimè. Segneri. *O consuetudo quid es? quanta vis tua? Studiose mi, exhorresce, & dum parva est consuetudo mala, fac ut eam extirpes: quò eam fovebis diutiùs, tantò eradicabis difficiliùs; & demum (quod avertat Deus) orco inferes. Extirpari potest jam, si seriò velis. Fac quod Sodalis ille, qui indies manè propositum non admittendi certum peccatum renovavit, vesperi severam sibi ipsi pœnitentiam injunxit, si errorem admissum per diem advertit: hoc fac, & vincetur consuetudo.*

25. B. Aloysius diem Nativitatis suæ singulîs annîs festum habebat: eum singulari fervore expendebat, gratias Deo & Patronis tutelaribus persolvendo pro beneficiis à primo vitæ momento concessis. *Ex vita.* Imitare. Diem Nativitatis, diem Nominis tui speciali devotione celebra, si potes, sacram Communionem perage: gratias Deo age pro beneficio Baptismi, & aliis per tot annos concessis gratiis. Item gratias age Angelo tuo Tutelari, & Patrono nominis tui: renova fervorem in servitio Divino: renova devotiones tuas: totum Deo te consecra.

26. Iuvenis Polonus cæco in peccata maxima impetu ferebatur: sæpe agnitô salutis

periculô, meliora proposuit; sæpe proposita deseruit. Nocte quadam sensit in somno corpus suum verberibûs acerrimè castigari, hîs minîs additîs: Infelix quando tandem te corriges? Resipisce, aut pœna imminet. Relictæ in carne vibices & dolor, non inania fuisse somnia docuerunt. Resipuit ad hæc juvenis, & constans permansit. *Sod. Parth.* Displicet Deo inconstantia. Quoties promittis meliora? quoties peccata repetis? an non easdem sæpe in animo voces percepisti? Infelix quando tandem te corriges? Imitare resipiscentem Juvenem: peccata detestare: constans persiste.

27. Berchmannus moriens tria hæc commendabat: 1. Amorem erga B. Virginem. 2. Orationem devotam & assiduam. 3. Levis etiam peccati fugam. Cordubæ Sodalis moriturus adstantes suos amplectens, eos obtestabatur, ne ullô peccatô se obstringerent, sanctissima mysteria sæpe & devotè obirent. *Ex vita & Ann S. I.* Hæc eadem ego à te sub anni finem peto & obtestor: hæc tu aliis commenda, hæc fac, & vives.

28. Memoratu dignissima est Iuvenis cujusdam, quem Nicetam vocant, pro castitate pugna & victoria: Iubente Decio Tyranno in hortum amœnissimum ductus fuerat, nec non lectulo suavissimo plumas inter & rosas impositus. Ne verò vim diabolicam

excutere

excutere posset, manibûs juxta ac pedibûs ligabatur. Sed Heroum animum quis ligare poterat? Accessit propudiosa mulier, quibûs poterat blanditiîs ad flagitium invitavit. Nicetas non habens, quô pugnare posset, inauditô ad eum diem exemplô linguam sibi præmordet, præmorsam in impudentis faciem evomit, ruboremque ei incutit, & consiliū sceleratum excutit. *Drexel.* Dignum cœlo spectaculum, Iuvenis pro Castitate decertans. Nunquam arma desunt castitati. Hanc si impugnari hîs feriîs aut alio quovis tempore senties, vires omnes & robur collige: pugna fortiter: certa viriliter. Est in cœlo Deus, qui coronā Victori parat immarcescibilē.

29. S. Antoninus, Archiepiscopus deinde factus, adhuc puer singulari affectu S. Michàëlem prosecutus est: ad ejus templum indies accedens multas ejus honori preces persolvit. Similem devotionem S. Bonaventura, S. Franciscus, aliique Sancti habuerunt. *Ex vita.* Imitare. Patronus morientium est Sanctus hic Archangelus: eum invoca: sæpe repete illas Ecclesiæ preces. Sancte Archangele Michàël, defende nos in prælio, ut non pereamus in tremendo judicio.

30. Carolus S. Brigittæ filius à matre Sanctè educatus, præcipuè in cultu B. Virginis solicitè instructus, immaturô fàtô obiit. Mater de filii statu solicita B. Virgini supplicat, ut

cat, ut indicaretur filii in orbe altero conditio. Adest S. Brigittæ Maria Virgo, & de filii felicitate securam fecit, affirmans se morienti adstitisse, & contra dæmonem defendisse. Objecit etiam speciem aliquam judicii divini, cujus clausula, hæc Judicis vox erat: hic Meus Matrisque meæ Servus æternùm vivat. *Vexenf.* Defendit Maria Carolum morientem; sed cur? rationem ipsa hanc dedit: quia Carolus adeò B. Virginem amabat, ut diceret, malle se æternîs ignibûs torqueri, quàm committere, ut aliquid de honore Virginis demeretur. Imitare devotionem hanc, ut B. Virginem habeas in morte propitiam.

In urbe Lubricensi Adolescens impuro puellæ cujusdam amore tenebatur; ab hoc nec jactura rei domesticæ, nec monita parentum, nec Dei timor, eum poterat avocare. Consumptâ hæreditate, mater patre defuncto miseriam ejus videns, pecuniam novam suppeditabat pro vita sustentanda; seriò monens abstineret tandem opes suas in fœdas res effundere; nihil se deinceps suppeditaturam; licet moriendum ei etiã foret. Nihil hoc moratus impius, profusîs denuo opibûs, novas à matre vi extorquere laborabat, stricto eam ense petere non veritus: Quod facinus ubi Magistratui publico innotuit, infamiam intentabat & supplicium. Neque sic motus, ut viveret liberiùs, lupanar publicum

petiit,

petiit, ibi vitam cum dilecta sibi furia acturus. Et egit sanè, sed miseram, pauperemque adeò, ut ipse vitam exosus, mortem sibi inferre decreverit. Cultrum ergo è culina rapit, abit in hortum, vestes dissuit, nudat pectus & tento ad ligneam horti maceriam fine manubrii, ne scilicet vi ruinæ cederet, tanto impetu se in cultelli aciem agit, ut firmissimo pectoris osse transfosso, ferrum ipsam dorsispinam violaret. Hoc saucius vulnere corruit in terram, profluum verò cruorem cernens immani furore agebatur, quòd nec sic invisum spiritum posset emovere: Hinc cultrum in pectore defixum, huc illuc agitare, lacerare viscera, & sic impium tandem exturbare spiritum. Ann. S. I. *Possibilene est, ut eò usque juvenis benè educati audacia deveniat, mortem adeò terribilem sibimet ipsi consciscere? O studiose, eò res delabitur, si vel uni passioni indomitæ non eatur obviam; si non extirpetur, dum potest. Cæca est passio quævis, nec cœlum videt, nec inferos. An talis in te nulla? illa ludendi potandique libido; ille amor non adeò ingenuus, ille viam tibi ad flagitia omnia, & ex his ad stygem parare potest. Time & mortificationem adhibe, compesce inclinationes ejusmodi fœdas. Non somnias tu jam, terribile adeò exitium; nec adolescens ille sub initium somniaverat. Cave.*

Anni Sancti Mensis Decimus October.

1. B. Stanislaus adeò exhorruit loquelas castitati adversantes, ut ad eas ab aliis prolatas, animô etiam sæpe deficeret. *Ex vita.* Imitare: exhorresce & fuge loquelas castitati contrarias, utinam non nimiùm frequentes? Gravius quid est, ejuscemodi effutire sermones, aut audire, ac plerique sibi persuadeant. Non unum legere memini, quem turpia ejuscemodi loquentem mors repentina oppressit, non unum qui libentiùs audiendo talia, ad horrenda deductus est flagitia.

2. Monachii Sodalis innocens dolosè ad domum impiam pertractus, ad scelus incitatus, sic socium alloquitur: Tune Deo spectante, scelestum hoc facinus vel cogitare solùm audeas? Mox arrepto pugione, autexitum dabis, ait; aut moriere: Mortem mihi ipse inferre paratus sum, antequam in conspectu Dei peccem. *Lechner.* Imitare. Memento Dei tui. Superiorum oculos effugere hîs feriîs potes; non Dei. Generosô

animô rejice omnes ad ſcelus quodcunque invitationes.

3. Berchmannus ſingulîs horîs contritionem, veſperi præcipuè, elicere intenſiſſimam ſolitus eſt. Antverpiæ adoleſcens tempore frigidiſſimo de nocte reperitur devotiſſimè orans: S. Petrus de Alcantara etiamnum adoleſcens preces ſuas, manè accuratiſſimè perſolvit. *Ex vitis.* Imitare: ſi unquam aliàs tum jam ſolicitè tuas preces perſolve, manè, & veſperi. Contritionem omitte nunquam. Recordare narrati alibi exempli, de infelici ſtudioſo nocte in peccatis mortuo, & quidem feriîs autumnalibûs. Econtra de adolescente alio ſcimus, qui in ultimo vitæ momento contritionem eliciens, orcum effugit. Tu aſſueſce indies, rei tam neceſſariæ.

4. Ioſephus notus ille in ſcriptura ſacra adoleſcens, ab impia muliere ad ſcelus ſolicitatus, relictô in impuræ manibus palliô fugit, dicens antea: Quomodo poſſum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum? *Ex Scrip.* Imitare: generoſam capeſſe fugam, ubi periclitatur caſtitas: ſæpe te ipſum quære. Quomodo poſſum hoc facere? quomodo peccare in Deum meum, mei adeò amantem? revera enim, quod S. Polycarpus dicebat, nihil mali mihi Deus fecit, cur eum offendam?

5. B. Aloyſius inter plurimas Aulæ occa-

ſiones ſcelus nullum grave admiſit: Indies corpus & animam ter Angelo cuſtodi commendabat; à quo mirabiliter è periculo incendii, & ſubmerſionis, ereptus eſt. *Ex vita.* Verſaris jam inter peccandi occaſiones plures, attende ne labaris & pereas, Cole Tutelarem tuum, hunc ſæpe invoca, ut te, velut Tobiam Raphàël, ducat in via periculoſa.

6. Mediolanenſis quidam Sodalis ipſum Xenodochii nomen horrebat. Victoriæ ſui cupidus adit Præſidem, rem exponit, certũ inquiens mihi eſt, vim mihi faciam. Dicitur dies: adeſt primo manè: adit Xenodochium: expalleſcit, horret, titubat, ſudat. Chriſti amore confirmatus cubicula ingreditur, terrã oſculatur, ſternit lectos, omnibus ipſe factus exemplum. Tantum profuit ſemel ſe viciſse. B. Aloyſius pariter ſe victurus, peſte infectis ſerviebat, morbô inde contractô factus victima charitatis. *Lechn.* Hæc olim egêre Sodales. Simile quid à te non auſim petere; at hoc certè, ut vim tibi inferas. Vince te! vince te! Regnum cœlorum vim patitur. Vince te, fugiendo pravas illas occaſiones, illa conſortia, &c.

Ingolſtadii Sodalis quidam, à prima ſua, quâ excelluit, morum integritate paulatim ſeductus, luſui, & potationi (conſueto ſcilicet adoleſcentum talium vitio) totum ſe dabat, ſtudiis relictis.

lictis. Noctem etiam consuetudini huic dedicabat sæpe mediam: quod dum vice quadam egit, discedentibus sociîs hic in suo cubili seminudus, in mensam dormitabundus se acclinat, cubito innixus. Candela ibi posita, quo, nescio, casu admota, vestes miseri corripuit. Evigilat miser, & inter flammas se conspicit; ejulatu domesticos excitat, nonnisi diuturno labore vestes reliquæ à corpore avelluntur; corpus miserrimè ustulatum apparuit, dolore adolescentis summo per octo dies protracto: unam suam in cultu Mariano segnitiem incusabat, deflebatque. In hoc quidem felicior alio, qui simili casu è flammis his terrenis ad perpetuas, inter desperabundas, & blasphemas voces, abiit. Ann. S. I. *Vade & etiamnum effutire aude, quid demum est invisere cauponas, lusui se & potui dare? Aves scire quid sit? dicam: est Sodalitatis regulas conculcare: datam B Virgini fidem fallere: tempus studiis & pietati consecrandum otiosè perdere: sumptus parentum dilapidare: innumeris peccandi occasionibus se exponere: Dei Majestatem offendere: divinam in se Nemesin concitare: Verbo; properare ad Tartara.*

7. S. Quido Confessor nullâ die lætus notatus est & hilaris, quàm quâ orationibus vacaverat diutiùs & pauperes adjuverat liberaliùs. *Ex vita.* An lætam tibi promittis conscientiam si ferias has exigas inter illicita gaudia? ne speres. Dulcia videntur, dum

sunt

ſunt præſentia; ſed ubi elapſa ſunt, ſed ubi Dei offenſi memoriam, ingerunt, ò quàm acerba! Ergo ſic ſtatue vivere, ut elapsîs feriîs, gaudere poſſit conſcientia tua.

8. B. Iacobus Alemannus ſociorum ſuorū ſcelera advertens monere eos, & increpare liberrimè conſuevit; neque irriſionibûs eorum, & jocîs moveri ſe paſſus eſt, ut id omitteret. *Ex vita.* Homini Deum amanti non ſatis eſt cavere peccata ſua, ſed etiam aliorum flagitia conatur impedire. Tu quid agis? an non frequentes ſunt rei hujus occaſiones? Ede ſpecimen aliquod tui in Deum amoris; liberiores aliorum ſermones carpe; aut quod melius, luge.

9. Adoleſcens quidam ſanctioris vitæ deſideriô incenſus Religionem petierat. Fervore magno cæpit, ſed aſperitate ordinis territus parabat exitum. Apparuit ei in ſomnis mater, & oſtensîs inferorum ſuppliciîs hæc in fine verba addidit: ſi vis evadere inferni tormenta, & adiſpici gaudia paradiſi, perſevera in incepto. Perſeveravit etiam, ſatiùs ducens, modicum pati in mundo, quàm horrenda in orco. *Spec. Juv.* Inferorum ſupplicia ſi cogitares ſæpius, credo conſtantiorem te fore in ſervandis propoſitis tuis. Nulla te certè difficultas à Dei ſervitio abſterreret. Hinc ſi ſapis, memorare noviſſima tua, præcipuè infernum; non peccabis; con-

ſtans

ſtans eris. Nemo enim uti S. quidam Pater aſſeruit. qui Gehennam habet ante oculos, incidet in eam. Nemo interni memor, peccare poteſt.

10. Sandomiriæ in Polonia juvenis nimium Dei miſericordiæ confidens, per peſſima quævis præceps ibat: apparet ei vice quadā Cuſtos Angelus & ait: Finis tui memento! confeſſarium accede. Confitere! Alius Cracoviæ de ſalute deſperans, flumen petierat, ibi ſe ſubmersurus. Adeſt ei Angelus, renitentē etiā periculo liberat, jubet confiteri. Alius Marcoduri, nocte, hanc Angeli vocem audiit, quâ emendationis procraſtinatio carpebatur. Necdumne times impie, tribunal ſupremi judicis? qua fronte coram eo comparebis? In ſingulis, profuêre Angeli monita. *Ann. S. J.* In te utinam proſint eadem! Verè verè eædem reſonant in conſcientia tua voces: Memento finis tui: confitere! time judicem! noli tardare, &c. ab Angelo tuo ſunt iſtæ: has audi: ſic enim jubet Deus: obſerva eum, ait, & audi vocem ejus.

11. S. Hilarion vitam Magni Antonii conſiderans, imitari eum ſedulò cupiebat; hinc adhuc quindecim annorum adoleſcens eremum petit, vitam ibi mirabilem, & rigidiſſimam vivit: illud notandum, quòd tentationes impuras victurus, jejunium rigidum admodum & pertinax ſuſceperit, ſic

alloquens

alloquens corpus: Ego aselle faciam, ut non calcitres, ut ne de scelere quidem cogites. *Ex vita.* Securitatem hîs feriîs nullam expecta; imò time dæmonis tū vi. tum fraudē. Resiste tentationibus viriliter: mortifica corpus tuum, ne nimis ei indulgeas in cibo & potu; sic enim oleum igni affunderes. Memento etiam imitationis Sanctorum, & fervidorum adolescentum.

12. Anonymus quidam, nobilis parentis filius dum paucis post obitum diebus cadaver patris vermibûs plenum conspiceret; quid demum est, ajebat, esse magnum? hisne pascendis laboramus? Inde relictô mundô ad sanctiores pro anima curas conversus cœnobium intravit. *Spec. Juv.* Salutaris memoria mortis! ah cui laboras studiose? corpori, quod paulò post erit esca vermium? stultus labor. Cur non pro anima æternùm victura solicitus es? & hoc quidem tempore? quis enim scit, an non propior tibi mors jamjam immineat? Juveni cuidam florido dicebat P. Colnagus S. I. Dum maximè felicem, & securum te credes, morieris: & ita contigit, mortuus, dum patris morte lætus, ei pararet exequias. *Ann. S. J.* Studiose, nunquam te magis securum credis ac jam; Noli fidere; fortè, fortè jam januas mors pulsat. Cura animam.

Adolescens quidam P. Drexellii condiscipulus,

lus, integerrimi primùm exempli adolescens, quo nescio ex tædio sanctius vitæ institutum deserit; ad patrem revertitur, lusibus, potationibusque dies noctesque vacat verâ deficiente pecuniâ, adulterinam ipse conficit: in quo scelere deprehensus, carnificis manu obtruncatur: palam fassus, has esse pœnas perfidiæ & inconstantiæ suæ. Alius, ejusdem inconstantiæ, graviores pœnas dedit; primo enim mense, quem deliciis totum dare statuerat, repentinâ morte ad judicis tribunal absque ullo pœnitentiæ signo evocatur. Terribilius est, quod addo: Andreas, Paulus, Nicomachus, quod Christiani essent, torquebantur. Nicomachus dolorum acerbitate victus, fidem deserit, idolo sacrificat. Sed ecce ipsô illo momentô à dæmone arripitur alliditur terræ, suffocatur. Quod videns puella duodecim annorum, Dionisia dicta, exclamabat: O te infelicissimum hominem, qui propter unius horæ spatium perpetuam & inenarrabilem pœnam tibi acquisivisti. Spec. Juv. & Ann. S. I. *Sic est: O infelices qui constantiæ & datæ Deo fidei obliviscuntur, peccata repetunt, æternæ se damnationis exponunt periculo. Odit, odit Deus inconstantiam; punit desertores suos. Te ne etiam puniat, cave. Noli Deum & facta toties ei proposita, deserere; ne æternùm deseraris à Deo tuo.*

13. B. Stanislaus indies duobus aut tribus missæ sacrificiis adstitit. S. Edmundus nulla die, idem neglexit. *Ex vita.* Quàm turpe est, leve

leve adeò obsequium Deo negare, templo se subducere! Cave, hoc audeas. Infelicem diem illum habeas, quô, tremendo illi Mysterio debitâ pietate non adstitisti. Tot horas otio & somno immolas, cur non Deo & animæ mediam donas?

14. Falco Adolescens notissimæ in Angelum Custodem pietatis, vovit in ejusdem honorem nullum mendacium deliberatum admittere. In jurgio quodam, sodalem suum occidit. Interrogatus à Magistratu, mendaciô unô vitam sibi servare poterat, cum testes homicidii essent nulli: sed voti memor statuit; potiùs vitam perdere, quàm votum violare. Veritatem fatetur, condemnatur, educitur, sed mirabiliter ab Angelo liberatur. *Pexenf.* Placet Angelo tuo fuga peccati, hoc eum modo venerare. Disce etiam, quàm constans debeas esse in propositis tuis, Mori potiùs, quàm peccare.

15. S. Franciscus Seraphicus mendicum sine stipe abire permiserat: Facti pœnitens eum revocat; sanctè promittens, nihil se posthac negaturum, si amore Dei peteretur. Et hoc Sanctitatis initium fuit. *Ex vita.* Quid tu amore Dei ages? petit Angelus tuus Custos, ut Dei tui amore abstineas ab hoc aut illo consortio, peccato &c. An nimium tibi est? cave dicas amari à te Deum, si non agis. Amasne Virginem Matrem? in hoc

etiam ostende: Ejus amore fuge peccatum aliquod, præcipuè tibi familiare. Hoc peto à te ego amore B. Virginis. An negabis? Non sic Alexander Hallensis, qui votum fecit negandi nihil, quod amore Virginis peteretur; miras exinde gratias consecutus. Imitare in hoc: Cogita subinde; amore Dei mei; amore B. Virginis cavebo peccatum hoc, Quid facilius? Quid salubrius?

16. Joannes annos duodecim natus, è patria Hispania, à Malabaribus in servitutem abreptus, Mahometano cuidam Regulo, dono datus est. Regulus blanditiîs variîs & promissîs, nuptiarum etiam cum filia sua oblatione, pueri animum expugnare laborabat, & Christi fidem ei rapere. Nihil hîs proficiens, tormenta exposuit, mortem intentavit. Minas inter & blanditias medius puer, breve sibi tempus postulat, non ut deliberaret, sed Deum pro constantia exoraret. Fusîs precibûs surgit, hîs vocibûs ad tormenta se offert: Christianus sum: Christo vivo: pro Christo moriar: nunquam Christum desero. Has easdem voces inter tormenta terrifica repetiit, pugil invictus. *Pexens.* Disce quâ constantiâ dæmonis hominumque tentationes hoc præcipuè tempore debeas excutere. Dic: Sodalis sum; Christianus sum: Nunquam hoc facio.

17. Duacensis quidam Sodalis à puella tentatus

tatus horruit, exclusit vi impiam, nec sub specie necessarii etiam obsequii, eam ad cubiculum ultrà admisit. *Lechn.* Fuge eos, quorum scelere tentaris ad impia. Fuge sexum alterum. S. Thomas Aquinas semel à muliere propudiosâ tentatus, mirum, quantum à sexu illo abhorruit. B. Aloysius ne cum matre quidem solâ, loqui voluit. S. Borgias mulieres necessariò accessurus, ciliciô se muniebat. Sic Sancti agunt. Salutis verò incurii, neque aspectus, neque conversationes liberiores timent. Atque utinam non graviora audeant? Quæ verò consequuntur? tristis docet experientia.

18. S. Vitalis, filius S. Felicitatis, ad colenda idola incitatus, hîs Præsidem verbîs allocutus est: Quis tibi meliùs videtur vivere, an qui Deum colit, an qui diabolum quærit habere propitium? Ego Deum meum colô. *Ex vita.* Studiose, si idem ex te sciscitarer, succenseres fortasse mihi; quia res certa est, solos Dei cultores beatè vivere. Sed an opere ostendis hoc à te credi? Cur ergò relictô Deô, conculcatô Deô, ad dæmonem confugis? cur Deum offendis? an benigniùs te tractat dæmon? quid spondet? Iam breve gaudium, sed terrificîs conscientiæ angoribûs mixtum: in æternitate, ignes perpetuos. Quid Deus? Præmium in cœlo perpetuum, consolationes etiam in vita hac, mercedem mi-

nimi

nimi cujusque operis boni: nam & vestigia & gressus numerat Angelus; remuneratur Deus; ut habetur in exemplo notissimo. Elige quem colas, cui servias,

In Peruana Provincia Sodalis (si nomen scilicet spectes) erat, qui fœdissimo sceleri cum puella quadam admittendo, assueverat. Die quodam dum infaustis deliciis fruitur; subitò cœlum tonitru concuti, terra tremere, densas inter tenebras micare ignes, & per fenestrarum rimas effusi, impii oculos ferire; imber etiam cum grandine sub tectum delabi. Puella territa, ô Virgo Maria fer opem! exclamat: at impius: Tace stulta, ait, nunquid opem tibi Maria feret? Vocem extremam fulmen excepit, & loquentem ab amplexu puellæ avulsum, extra lectum ejecit, flammâque involvit. Puella surgere, parare opem, ejus nomen inclamare: frustra. Ergo digitos pedum trahit, & hi divelluntur toti, horrendùm ergò vociferans vicinos convocat: hi cadaver protrahunt, sinè dentibus, sinè lingua, sinè anima reperiunt; terribile justi Judicis punientis, exemplum. Bonif. *Ita in puncto ad infernum descenditur. Eò deducit, imò deturbat scelus illud execrandum impuritatis: Ex hoc enim in blasphemias, in horrenda quævis flagitia, facillima via est. Vade nunc, & illicitis indulge gaudiis: eâ ipsâ hora gladium vibrabit Divina Nemesis, justôque te judiciô detrudet ad tartara. Senties, senties ibi, quid*

sit

sit gustasse paululum mellis, & aeternùm mori. Illud maximè terrificum: ex amplexu ipso, ex medio gaudio, rapi ad tormenta. Expavesce! cave peccatum quodvis? an enim hoc, an illo damneris; quid interest?

19. S. Ioannes Ephesô excedens juvenem habuit obvium, cujus innocentiâ delectatus, eum Episcopo loci, custodiendum tradit. Ab hoc solicitè instructus, baptizatus, sanctè educatus est. Elapsîs annîs aliquot deterioribus quibusdam associatus, ab his paulatim seductus, ad furta etiam & latrocinia inductus est. Audiit hoc redux S. Ioannes, & gemens sylvas adit, in quibus commorari dicebatur miser Iuvenis. Obvium ei factus, precibûs & lachrymîs invitat ad reditum; reducit Ephesum; ubi peccata vitae liberioris deflere, & seriam agere docuit poenitentiam. *Pexenf.* Ah quo recidunt sanctorum etiam Adolescentum mores; si sceleratis sociis obsecundent! Periisti, si hic non caves. Imitare poenitentem Iuvenem hunc, si errantem secutus es.

20. Alexander Berbius notissimae integritatis adolescens cum daemonem in mortis articulo praesentem sibi videret, sic eum imperterritus alloquitur: Quid quaeris, aut quid vis tibi bestia? facesse: Testimonium meum, Deo favente, bonum est. Berchmanus nuntium mortis amplexatur prae gaudio;

Christi

Christi effigiem complectens ait: Christe tu unicum bonum es; quod in vita habui & habeo, sed ne deseras me jam. *Ex vita.* Charissime, si moriendum jam tibi esset, an eœdem possent esse voces tuæ? an testimonium conscientiæ bonum est? Fac ut sit, alias mortem time infelicem. Vis ut à Christo non deseraris in morte? noli eum peccando deserere in vitâ.

21. Ubaldinus adolescens piissimus, videns socium in templo irreverentem, à turba eum seducit, sic alloquitur: Christianum quidem neminem decet talia in templo agere; minimè autem decet eum, qui cliens Virginis sit, cujus tunc videat filium pro se immolari. *P. Niess.* Reverentiam in templo totâ vitâ tibi habeas commendatam. Absit à loco sacro omnis garrulitas, risus, irreverentia.

22. Iuvenis impiissimus, uti in vita S. Lydwinæ habetur, ad scelerũ confessionem impelli non potens, metu pœnitentiæ, motus tandem est, ut peccata sua sanctæ huic Virgini exponeret; illa jussit nocte unâ immotum jacere in lecto. Non potuit hoc ferre Iuvenis, licet ab initio facillimum crediderit: hinc orta fuit cogitatio: Quid ergo in inferno erit, æternùm tormenta horribilissima tolerare? Hac cogitatione fractus confessionem pœnitentiamque libens est amplexus.

Ex

Ex vita. O Studiose, si subinde cogitares, quid sit æternùm inter inferos pati, impossibile foret, ut ullius peccati voluptate tenereris, aut pœnitentiam ullam refugeres. Ah memento æternitatis! Ardere semper: nunquam liberari: æternùm! & quidem pro momento unico.

23. Sidrach, Misach & Abdenago juvenes fortissimi statuam Nabuchodonosoris adorare jussi aut caminum ignis ardentis tolerare, heroâ voce responderunt: Deos tuos non colimus, & statuam auream, quam erexisti, non adoramus. Vocibus, factum respondit: Ignes elegerunt, præ peccato. *Ex L. Dan.* Imitare in hoc: nullô propositô damnô, nullâ spe præmii, Deum audeas offendere. Responde dæmoni: nolo hoc consortium: detestor hanc occasionem: non accedã, &c.

24. Metensis Sodalis in Sicilia fuit, in cultu B. Virginis admodum tepidus: huic nocte apparet Præses, sic inquiens: An impunè tibi negligentem esse licere putas? falleris miser: jam nomen tuum ad magnam Matrem delatum est; ab Ea, pœna tibi imminet, nisi sodalium officia posthac facere, non tantùm nomen inane habere velis. Ter repetitæ voces Iuvenem ad sanctiora compulerunt. *Nadasi.* Compellant utinam & te eædem conscientiæ voces, Crede, crede, nomen tuum ad tribunal Virginis delatum

est:

est: pœna imminet, nisi emendes te. In quo incipies?

Juvenis flagitiosus cum morbô in lectum prostratus mentem ad prioris vitæ rationes revocâsset, immensâ criminum mole obrutus, de salute sua desperare cœpit. Monentibus meliora amicis, respondet: Quid mihi cum Pœnitentia? scio me Tartarorum fore incolam. Actum est de salute mea: spes omnis abscissa est. Instabant amici lacrymîs minîsque, sed frustra. Christus ipse videndum se ei tandem exhibet, ostendit vulnera, & veniam promittens ad scelerum emendationem, confessionemque animat. Sed neque sic cor saxeum emolliri potuit. Ergo Christus ex lateris sui vulnere, manum multo implet sangvine, in obstinati faciem projicit, additâ tremendâ hac sententiâ. Hæc amoris mei, contumaciæ & obstinationis tuæ nota, hoc signum sanguine meo pictum, olim contra te ad tribunal meum, reum te arguet contemptæ clementiæ meæ, & meritæ damnationis tuæ. Quâ acceptâ voce, actus in rabiem miser, obiit. Spec. Ex. *Bonitatem divinam contemnentibus, terribile impendet supplicium. Ipsa illa Christi erga peccatores charitas, & patientia, à peccatore contempta augebunt inferos. Tu quid exspectas? monet te Deus, ut seriò tandem resipiscas, ut vitam aliam inchoes ne bonitatem ejus irritare pergas:* Time, *time, si non obsequeris. Accusatores tot habe-*

his in judicio, quot vulnera Christus sustinuit.

25. Avenionensis Sodalis impia rogatus, respondet: Ego jam me pridem Christo IESU, ejusque Sanctissimæ Matri dedi; non facio ista. *Lechn.* Hæ sint tuæ ad dæmonem & ejus socios voces. Recordare, quoties te obtuleris Deo & B. Virgini? Cur ergo oblata ei membra adhibere non trepidas, detestanda adeò ad scelera? non pœnam perfidiæ times?

26. B. Stanislaus in literis ad patrem sic scripserat: Quis plus amandus? an homo, an Deus? cui obsequendum? *Ex vita.* Versetur hoc ob oculos tuos, hoc potissimum tempore, & cave ne Deum offendas in gratiam socii tui. Deus te damnare æternùm potest, non socius. Deo obedi, non dæmoni, aut homini, contrarium Dei præceptis postulanti.

27. Sodalis quidam vitæ liberioris in Patronum menstruum acceperat S. Hieronymum: hic nocte apparens Iuveni, fornacem accensam ostendit inquiens: In eam conjicieris, nisi mox emendes. Territus, peccata expiat, emendat. *Lechn.* Studiose, etiam Feriîs hisce, patent inferi: hæc tibi ostendit Custos Angelus; hæc minatur, nisi te emendes. Resipisce: actum aliàs de anima.

28. S. Silanus, filius S. Felicitatis, sic Tyrannum allocutus est: Si tua tormenta timentes, Deum

Deum offenderimus, in æternum interitum & horrenda supplicia incidemus; sed quia scimus, quanta justos maneant præmia, securi, jussa tua contemnimus, ne Dei gratiâ excidamus. *Ex vita.* Imitare: Cœlum respice: respice Tartara; ibi mercedem, hìc pœnas. Erit hic fortissimus ad fugienda peccata stimulus.

29. Ingolstadiensis Sodalis, turpi cuidam vitio deditus, agnitô salutis periculô remedia sanitatis inquisivit: Iussus est frequentiùs S. Eucharistiam accedere: accessit devotione maximâ, fassus deinde, quòd ingens sceleris odium ex S. Communione perceperit; unde facillima ei fuga accidit ejus, cujus tanto amore tenebatur? addidit nihil se eo tempore à Christo petiisse, cujus compos factus non sit. *Lechn.* Imitare: Efficacissimum remedium frequens & devota S. Cõmunio. Hanc ne negligas, si consuetudinem extirpare velis. Aderit Christus Eucharisticus, opem feret, si voles.

30 S. Martialis, filius S. Felicitatis, ad ejurandam Christi fidem incitatus, monita & minas contemnens, ajebat ad Præsidem: O si nosses, quæ pœnæ Idololatris sunt inter inferos constitutæ! aliud saperes. Timor gehennæ à peccato avocabat S. Martialem. *Ex vita.* Studiose, sæpiùs hujus tibi ingero memoriam; si enĩ infernalia nosses supplicia,

non ageres ea, quæ jam imprudens agis! Accede subinde ignem aliquem, & exemplô B. Aloysii, perpetuas in eo flammas meditare: quære ex te, quomodo tolerare eas possis? O si nosses! aliud saperes.

31. Leodatius Iuvenis innocentissimus, B. Virgini addictissimus, Religionem S. Dominici petierat, ut tantò securiùs Deo & B. Virgini deserviret: Ducentîs sæpe vicibûs indies Virginem clementissimam invocabat. Æger à pia hac Matre invisebatur: quærebat illa, an abire ad se & Filium suum vellet? reposuit is & quænam tu es? Tum Virgo: Ego sum Mater misericordiæ, quàm toties invocatam, modò præsentem vides: eja ad cœlum pergamus. Dixit, & animam famuli corpore liberatam ad astra deduxit. *Specul.* O Studiose, quàm bonum est Virgini huic serviisse, eam invocasse! invoca indies: proteget te, & defendet. O quale tuum erit in hora mortis solatium, si clementissima Mater hîs te in animo vocibûs compellabit: Eja, ad cœlum pergamus. Nunquid lætus tunc voci Marianæ obedire cogitas? Et jam obedi dicenti: Eja, ad emendationem pergamus: ad Confessionem, ad templum pergamus.

Leontius Comes, adolescens, è Machiavelli principiis vitam instituerat. Animam hominis mortalem credens, tempus omne edendo, potan-

do, lasciviendo perdidit. Transiit cœmiterium, ad calvariam mortualem offendit, convivam sibi vesperi adesse jubet, & edicere, quidnam ergo animabus hominum in orbe altero eveniret? Cœpto vesperi, convivis adest osseus hospes, frustra reluctantibus famulis intrat, mensæ assidet: subducunt se alii ex aliis, terrore immani perculsi; soli Leontio negatur effugiendi facultas. Feralis hospes invitatum se esse asserens, multa de animarum immortalitate, & suppliciorum æternitate dixerat, tum subjungit: Atque ne dubia tibi hæc sint, experiere eadem mecum, qui Avus tuus sum. Mox medium complexus Leontium, jam ante horrore prope exanimem, frustra vociferantem, & sociorum opem inclamantem, validè adeò vicino allidit parieti, ut dispersum adhæserit cerebrum, triste rei totius argumentum. Animam cum corpore infelici, ad æternos inferorum rogos secum abduxit larva Tartarea. Pexenf. Justus es Domine, & rectum judicium tuum! Ede, bibe lude, post mortem nulla voluptas, dicebat infelix iste Leontius, Verum, ah verum nimis est, post mortem nulla voluptas impio homini, quærenti hic in deliciis miseris requiem, & consolationem suam. O misera gaudia! Videsne Studiose, quò deducat libertatis nimiæ amor; edendi, bibendi, ludendi cupido immoderata? Quære jam infelicem Leontium, quid de deliciis sentiat? Blasphemiæ, perjuria, & si qua horridiora sunt,

ſcelera, inter aleas & pocula diſcuntur facile. Time, fuge: fortè Leontius hic, ex Orco idem tibi dicit, quod alteri cuidam, damnati anima dixit: Poſt triduum mihi aderis, eademque patieris. Cave.

Anni Sancti Mensis undecimus November.

1. B. Stanislaus reprehenſus à fratre ſuo propter mores nimiùm diſſimiles, nimias in templo horas orando traductas &c. ajebat: Vivam, ſicut Dei ſervum decet; placeatne aliis, an non? non curo. Hunc imitatus Berchmannus, inquiebat: Non erubeſcam, videri tendens ad perfectionem. *Ex vita.* Studioſe, imitare, generoſè contemnendo reſpectum humanum, qui bona plurima impedit: non erubesce eſſe in templo cæterîs modeſtior, in ſuſcipiendis ſacramentis frequentior, in fugiendis occaſionibus ſuſpectis, cautior. Vive ſicut ſervum Dei decet, placeatne homini, an non, ne cures. Quid tibi proderit hominum gratia? Miſerum me gemebat Thomas Volſæus moriens, qui Dei gratiam perdidi, ut placerem homini;

homini; hominis gratiam jam non invenio.

2. Nolanus quidam Sodalis, omnia ſua pietatis opera pro defunctis offerre conſueverat. Præmium hoc tulit: paucîs ante mortem diebûs ei adhuc ſano, nihil de morte cogitanti adfuêre defunctorum animæ, confeſſionē ut perageret, & ad mortem ſe disponeret, monuêre, fecit, paulò poſt, caſu, globô trajectus; fortè periturus; niſi antea ſe diſpoſuiſſet. *Ann. S. J.* Imitare; ſæpiùs preces tuas pro animabus purgatorii perſolve.

3. Juvenis quidam ante ſacellum aliquod, pilæ luſu ſe cum ſociis exercebat. Annulum donô acceperat à puella, qua cum familiariùs verſabatur. Hunc ne perderet, ſacellum intrat, ibi eum abſconditurus. Intrat, & B. Virginis effigiem, ejusque pulchritudinem contemplans, genu flexô eā ſalutat, inquiens: Verè pulchrior es illâ, quæ hunc mihi annulum dedit; illi ergo renuntio, tibi ſervire ſtatuo, ut me redames. Hæc dicens, annulum digito ſurſum erecto, indidit. Et ecce, velut probaſſet deſiderium Virgo, digitum imago conſtringit, ut rapi annulus non poſſet. Narrat juvenis prodigium aliis, monetur miſſô ſæculô caſtitatem colere, B. Virgini ſervire. Divitiarum amore prohibitus, nuptias præelegit caſtitati, fœdifragus impius. Primâ nuptiarum nocte adeſt ei vice iteratâ B. Virgo, annulum prætendens, & infidelitatis arguens

 impium;

impium; quin & vultum cum indignatione visa est avertere, & tormenta gravissima ob voti contemptum minitari. Perculsus visione juvenis, pœnitentiam egit, sæculô desertô B. Virgini castiùs servivit. *Pexenf.* Displicet Deo Deique Matri, stulta & infidelis promissio. Si quid vovisti, noli fidem fallere; sed & in propositis attende, an non displicere Virgini debeat, toties te tuaque ei offerre, proponere nescio quæ; frangere semper, semper datæ fidei oblivisci. Resipisce: propone: exequere:

4. Panormitanus quidam, è sodalitio, domū rediens, ad domum studiosi invitatur: nil mali suspicatus intrat, jubetur literas amatorias ad locum aliquem deferre: is, Non decet, inquit, hoc clientem B. Virginis: non decet tanti sceleris fieri participem. Instantibus verò illis, & stricto mucrone mortem minitantibus ajebat: Occidite me; hoc forte potestis; ut sceleris sim internuncius, non efficietis, *Lechn.* Imitare heroum animum generosè excute, si quid impium petitur. Dic dæmoni, dic socio: non decet hoc Sodalem.

5. B. Stanislaus speciali devotione SS. Eucharistiam prosecutus est; hinc bis per Angelorum manus, eâdem confortari meritus est. Indies, ante & post scholam Christum Eucharisticum, & B. Virginem salutavit; felicissimum

ſimum ſtudiorum ſucceſsum ſemper exindè conſecutus. *Ex vita.* Imitare. Venerare divinissimum ſacramentum, ſæpè devotè ſuſcipiendo, ſæpiùs inviſendo; præcipuè antè ſcholas. Non eſt res, cujus tè pudeat, niſi forte profectûs tui & ſalutis, te pudeat.

6. In Luſitania Sodalis, tenerrima devotione Virginem proſequebatur; quo neſcio caſu, ſcelus enorme admiſit: mox pudore immani correptus, quò ſe verteret, neſciebat: ſylvam ſubit circa veſperum, deflet miſeriam, & innocentiæ jacturam. Conſcientiæ ſtimulos non ferens, fluvium accedit, ſe ſubmerſurus: ſtans jam in ejus crepidine Virgini ſe commendat. Adeſt hæc, & ſuavi voce: bonum animum habe, ait, me ſequere. Hæc effata, flumen intrat, ſed quaſi marmor ſtratum reperit illud attonitus juvenis. Superato flumine, ad urbem reducit miſerum; jubet peccatum expiare, agere pœnitentiam, cavere conſortia, novo Deum amore, & obſequiô colere; quæ omnia ſervatus ab interitu juvenis, lætus implevit. *Nadaſi.* Non deſerit Maria clientes ſuos etiam peccatores, ſi ab his invocatur. Sed adverte monita ejus: pœnitentiam vult, & fervorem novum, & ſociorum ſuſpectorum fugam. Hæc fac, & placebis Virgini; deſperatione enim non places.

In Lancaſtria, Angliæ Provincia juvenis improbus

probus impiissimè vixerat: exultare etiam in sceleribus fuit solitus, præcipuè in lascivia. Nihil amicorum monita profecêre. Pater interea mortuus, noctè apparet filio, & suavissimîs verbîs periculum salutis exponit, monet consilia meliora. Risit filius velut somni ineptias, paterna monita. Ergo nocte alterâ reversus Pater, post acerbam objurgationem, hæc subjunxit: Aut vitam muta, aut die S. Martino sacrâ, vitam simul & animam infelix perdis. Neque sic expergefactus fatalî somnô, resipuit. Festô S. Martini Episcopi, lætum instruit convivium: & adveniente nocte velut de somniorum vanitate prudenter explosa, sibi gratulatur. Dies altera aderat S. Martino Papæ sacra; & ecce dum suis de more indulget illecebris infelix juvenis, inter meretricis furiæ suæ amplexus, morte subitaneâ exspirat. Pexenf. *O infelix mors, mors peccatorum! Non irridetur Deus. Cùm dixerint, pax & securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus; ait scriptura. Noli securum te credere, studiose: fortè è sociorum tuorum (qualium cogites!) è peccati tui illius amplexu, mors repentina te rapiet, æternis illatura rogis. Vade, vade, & nescio quos tibi annos pollicere: vade & parentum, aut concionatorum monita contemne.*

7. S. Elzearius adhuc adolescens, sub veste pretiosa cilicium gestare solitus erat. Idem fecêre Sodales plerique, horum unus Me-

diolânen-

diolanensis ciliciô se adversùs fœda somnia obarmare consueverat; vice quadam non repertô ciliciô, somnum capit: sed illicò adfuêre somnia fœda: ergo lectô surgit, flagellô expulsurus dæmonem, nec hoc repertô in hortum tempore frigidissimo abit, nec nisi sedatîs tentationibûs discedit. *Ex vita.* Mortificandi studium adeò necessarium & utile tibi commendo. O felix pœnitentia, exclamabat apparens ab obitu S. Petrus de Alcantara, quæ talem ac tantam mihi promeruit gloriam! Ciliciô nihil consuetius sodalibus fuit: placere hoc B. Virgini certum est, hinc Thomam Cantuariensem in reficiendo, ipsa Virgo adjuvisse legitur.

8. B. Stanislaus, otiosum verbum nullum proferre, auditus est; sermonibûs piîs socios delectabat; libentissimè loquens de periculis, quibus per divinam clementiam ereptus fuerat. *Ex vita.* Imitare; haberes & tu materias loquendi satis amplam, si Dei in te favores attendere velles. Fuge sermones scurriles & indecoros, velut certissimam castitatis pestem. S. Nicetas Neocæsariensis, summopere nugas, & facetias aversatus, rationem hujus odii sui hanc dabat: Talia odit Spiritus Sanctus. Odit & B. Virgo.

9. S. Edmundus in omni dubio B. Virginem implorat; studia coram ejus imagine peragit; fassus quòd nunquam desertum se à B.

Virgine sciat. Albertus, postea Magnus dictus, rarissimam ab eadem Virgine scientiã impetravit. Petrus de Anasco, postea Societatem ingressus, sabbathinô jejuniô Virginem colebat; ante scholæ initium ejus imagini advolutus, benedictionem flagitabat; æger à B. Virgine visitari, ad Societatem Iesu vocari, meritus est. *Ann. S. J.* Sodalis: Deus omnia nos habere voluit per Mariam. Hanc accede, hanc implora; in studiis, in Vocatione, in negotio quovis. Non deseret te, si Edmundus sis: hoc est, si castitatem & virtutem colere labores.

10. Sodalis quidam, alteri ex promisso apparens, salvatum se esse asseruit; præcipuum sibi adjumentum fuisse affirmans, frequentem & devotam S. Communionem. *Nadasi.* Salvari vis? frequenter & devotè communica. Statîs temporibûs nunquam neglige. Certum est, gratias conferri maximas, bene dispositis: faciliùs resistitur dæmonis tentationibus. O quibûs te gratiîs privas, si divinam mensam fugis! præceps ad interitum ruit salus tua, si nauseare incipis divinum epulum. Detestare quorundam ignaviam, sæpe mense integro S. Eucharistiam non accedentium. Vox Domini est: qui se elongant à te, peribunt.

11. B. Aloysius, diei horas accuratè habebat divisas, alias studiis assignatas, alias pre-

cibus;

cibus; ut ne particulam quidem temporis perderet; hinc nonnisi orans, aut legens repertus est. *Ex vita.* Imitare. Certus sit tibi ordo, quem observes accuratè. O Sodalis, si pretium temporis nosses, quantùm omnem ejus jacturam caveres! norunt damnati, hinc nihil deflent acerbiùs. Monachus quidam Clarevallensis, damnatum adjurans quærebat, quâ potissimùm re cruciaretur: hac, reposuit, quòd tempus ad pœnitentiam, & vitam bonam concessum, non impenderim meliùs. O quomodo studiosi damnati, tot menses & annos otiô perditos, deflebunt inter inferos! Tu ne deflere cogaris, tempus bene colloca. Familiare nimis vitium est otium: leve creditur, quia commune est, sed alia judicia Dei, alia hominum.

12. In Provincia Franciæ, parens hæreticus filio recens converso Sodali, dat facultatem domum redeundi; at iste: extrema potiùs omnia subibo, quàm ut apud eos vivam, qui cum dæmone & improbitate vivunt. *Ann. S. J.* Imitare: fuge domos suspectas: fuge cauponas, conventicula illicita. Qui amat periculum, peribit in illo. Vivere cum iis, quibus pietas cordi non est, & tamen in pietate fervere, res rara, res ferè impossibilis est. Vivere ubi Deus offenditur, nec tamen Dei leges violare, nescio an justissimorum sit, Fuge!

In

In Lotharingia Anno 1614. Juvenis quidam, aleâ lusuque pecuniam omnem perdiderat: ergo ut haberet, unde vesanæ ludendi libidini, quidpiam subministraret, aurei nummi quadrantem clam alteri surripit, in calceo abscondit. Negare interea & pernegare ausus est, minas etiam quærentibus intentare, & execrationibus caput devovere, si quidpiam ipse sustulisset: Diabolus, inquiebat, collum mihi, contorqueat, si pecuniam subduxi. Vix verba protulerat; spectantibus omnibus humi labitur, facie in dorsum retortâ. Interea. accersitur confessarius, semimortuum Iuvenem reperit: applicatîs S. Ignatii reliquiîs ad se juvenis rediit, peccata exposuit; fassus etiam, quòd eô momentô, quô peierabat, dæmonem viderit in forma horrendi molossi, pedibus posterioribus nixum, prioribus irruisse, humi prostrato collum intorsisse. Ann. S. I. *Non vanæ semper sunt imprecationes: non impunita perjuria. Consuetudinem si hac in re habes, extirpa; & sanctioribus loquendi formulis assuesce. Observa etiã quorum scelerum fons sit, & origo, ludendi vesana libido. Qui mentiri, qui ludere solet, pejerare aut consuevit, aut facile ut id agat, inducetur.*

13. B. Stanislaus Patronos menstruos colebat indies; festa eorum præcipuè, agebat solennitate quâ poterat summâ, peragendo S. Communionem &c. Moriens summâ eos

fiducia

fiduciâ invocabat. Ayatumus pridie festi Patroni menstrui, flagellô, ciliciô, jejuniô susceptô, sanctum sibi conciliare studuit. *Ex vita.* Imitare, Patroni menstrui cultum nunquam neglige; Patronorum tuorum festa, devotione majore celebra; invoca eos indies, dum vivis, & aderunt tibi, dum morieris. Quomodo coles hodie B. Stanislaum?

14. Celsus, Martiani Præsidis in Syria filius, è ludo scholastico prodiens, videt educi S. Julianum ad supplicii locum; advertit imminentem capiti ejus coronam ope Angelorum allatam: & subitò projectâ tabulâ literariâ, Iuliani pedibus advolvitur, baptismum flagitat, non precibûs, non promissîs, non metu, non vi, avelli poterat. Ergo carceri cum Iuliano datur: repetuntur promissa & minæ; sed frustra. Visa, Martyri parata corona, adeò roboraverat juvenem, ut tormenta & promissa quæcunque rideret. Actum à se agi agnoscens Pater, filium morti adjudicat, quam & constantissimè sustinuit. Tantum valet, recordatio præmii à Deo parati. *Conc. Hist.* Studiose mi, cœlum respice; parat ibi Deus laboranti præmia. Labores scholasticos, si pro Dei gloria toleras, mercedem cœlestem feres. Fortiter si carni & dæmoni resistis, mercedem aliquando cœlestem feres. Age, erige te: dignum est cœlum, cujus amore tantillum labores.

Tantam

Tantam tibi mercedem, dæmon non promittit.

15. S. Emericus Regali ſanguine oriundus, ſomni parciſſimus fuit: Cæteris dormientibus ipſe ad preces ſurgebat: ad finem Pſalmi cujusvis, contritionem elicere ſolitus erat. *Ex vita.* Imitare. 1. Somno ultra neceſſitatem ne indulgeas: otium eſt; peccatum, Dei offenſa eſt. 2. Freqenti contritioni aſſueſce: horîs ſingulîs eam elicere facillimum eſt.

16. In Vicinia Civitatis Tridentinæ, Adoleſcens, latronibus ſe adjunxerat. Erat is à Monacho aliquo, quem occidere voluerat, inſtructus, ut ſingulîs diebûs ſabbathinîs in honorem B. Virginis abſtineret latrociniô & ſpoliatione. Fecit hoc latro fideliter, alios etiam à ſcelere ſimili avocabat; ab omni etiam cibo tali die, abſtinens. Captus deinde die ſabbathi, morti adjudicatus, libentiſſimè ſententiam accepit, mortem pertulit, factâ prius confeſſione seriâ; converſionem ſuam B. Virginis auxilio adſcripſit, per ſuſceptam devotionem impetrato. Corpus exanime luminibûs nocturnîs prodigioſè honoratum eſt. *Spec. Ex.* Placet B. Virgini fuga peccati. Hæc vera eſt devotio: Hanc amplectere: nullus abeat ſabbathi dies, quô non à peccato quodam ſpeciali abſtineas.

17. Dolanus quidam Sodalis, ab inimico

graviſſimè

gravissimè cæsus, interrogatus per Præsidem, an ignosceret? reposuit: Duodecim anni sunt, cùm formatus à vestra societate, didici inimicos esse diligendos; libenti animo veniam dabo. *Ann*, *S. J.* Imitare: Memento tot documentorum, quæ tibi in scholis & templis data sunt: Secundùm ea, operare didicisti, animam servandam esse solicitè; serva eam. Didicisti fugienda esse suspecta consortia: Fuge. Alioquin scienti tibi & non facienti ô quale peccatum erit.

18 B. Stanislaus accepto usu rationis, illicò se Deo offert, ejus se mancipat servitio sempiterno. *Ex vita.* Rara prorsus gratia, in primo rationis exordio ad Deum se convertere. Verus imitator B. Virginis, in ætate primula Deo se se præsentantis Tu id saltem jam age, & ex hora hac totum te Deo & Virgini offer. Offer ætatem hanc adhuc floridam; in hac, piè vivè. Dæmonis fraus est, quâ plerique adolescentes decepti, æternùm pereunt. Suadet ille, annos primos dare deliciis & libertati, inculcat, vitam rigidiorem ad futuros annos esse differendam; spem vitæ longioris ingerit, & sic à Dei servitio abstractos, innumeros trahit ad Tartara. An non & te pestilens adeò dogma infecit? procul elimina; nam teste Scriptura: Spes ista longioris vitæ multos perdidit. Offer ætatis primitias Deo: jam incipe servire. Sed quod offers, noli repetere: Offers linguam tuam:

Noli eâ deinceps abuti, ad quos nescio sermones; tua enī non ampliùs est. Sic de oculis &c. loquere.

19. S. Emericus considerans, quam rem B. Virgini posset offerre gratissimam, has audiit voces: Præclara res est Virginitas; Hanc ergo Deo in ipsis nuptiis vovit: Hanc mortificatione constanti servavit. *Ex vita.* Rem Deo & B. Virgini gratissimam offerre desideras? Castitatem offer ita saltem, ut annô totô peccata castitati contraria, summopere fugias. Noli indulgere genio, sed licitas etiam subinde nega delicias, si castitatem servare desideres. Inter spinas securiùs floret hoc lilium.

20. Leopoli Adolescens templum nostrum ingressus, confessione factâ Sacerdoti, ait, sibi cum templum hoc præteriret, invocato Mariæ nomine, cor incredibili dolore fuisse percussum. Scripserat jam juvenis ille chirographum, quô se dæmoni devoveret, ob terribiles, quas patiebatur angustias. Interea tamen, dum dæmon in auferendo chirographo moras faceret (cœlesti utique vi prohibitus) immanibûs conscientiæ stimulîs vexabatur; facti anxius, tandem de B. Virgine cogitabat. Occultâ semper vi retinebatur à templo, tandem invocato Mariæ nomine vi sanctiore penetravit, dolens & lacrymans peccata exposuit, quietem nactus jucundissimam. *Nadasi.* Conscientia te si premit,

Mariam invoca: Potest hæc cor tuum saxeum emollire; potest dolorem impetrare intensissimum. Mater est peccatorum, convertere se volentium. Nihil ei gratius, confessione seriâ & emendatione. Hoc ei gaudium quousque negabis? cur non invocas? cur in sordibus perire cupis? Age: Hodie adhuc pedibus maternis advolvere: Maternam implora clementiam! non projiciet te.

21. B. Stanislaus quæsitus, an amaret B. Virginem? respondet: Mater mea est: Neque alio eam nomine compellabat: Filialem semper affectum erga eam exhibuit. Matrem expertus est in morbo; dum ab illa visitatus, & suavissimîs solatiîs recreatus est; datâ etiam facultate Salvatorem Iesulum brachiîs tenerrimè amplectendi *Ex vita* Renova hodie devotionem erga magnam Virginem; totum te ei præsenta, filiali affectu eam cole. Mater est adolescentum devotorum. S. Elzeario data est à Christo in Magistram Thomæ Sanchez medicam se exhibuit, dum linguæ usum restituit, cujus defectu à vocatione implenda impediebatur. Innumera taceo: Fuit & Mater tua; ab ira cœlestis Patris te protexit, servabit ab inferis. Esto Filius Mariæ.

22. In Boetia Missionarium S. I. juvenis accessit, generali confessione peccata omnia expians. Is duplicî se ad emendationem stimulo

mulô incitatum fuiſſe aſſeruit. Primus erat, mors repentina, quâ Deus mulctaverat ſceleris consortem, in ipso, quo peccabat momento. Secundus, auditio concionis habitæ de æternitate ſuppliciorum, peccatoribus in inferno deſtinatorum. *Ann. S. J.* Sunt hæc revera fulmina duo, quæ ſaxeum etiam animum queant emollire; Mors infelix eorum, qui minorum ſcelerum rei erant: Æternitas tormentorum, decreta impiis. Hæc utraque ſæpe ob oculos pone. Lauda Dei clementiam, tibi ad hæc uſque tempus parcentem: Time Iuſtitiam, æterna inter inferos ſupplicia, rebelli præparantem.

23. Adoleſcens è Moguntinis ſcholis domum ad parentes hæreticos redux, carnibûs die vetito veſci noluit; pane & aquâ frigidâ diem primum exigere coactus; ſecundo die etiam panis ei ſubtractus eſt, tertio, verberibûs multis inflictis, domô proſcriptus. Tulit iſta omnia juvenis, neque ad violandam Eccleſiæ legem, ſe induci paſſus eſt. Miratus demum Pater hæreticus conſtantiam ejus, eum domum revocavit, neque ullam ei deinceps moleſtiam intulit. *Ann. S. J.* Imitare: Conſtans eſto in obſervandis illis, quæ hauſiſti in ſcholis, documentis. Levis moleſtia ne quæſo te abſterreat ab impletione mandatorum Dei. Animô opus eſt.

24. Bethuniæ, Sodalis Angelicus, poſt ali-

quot

quot vitæ verè Angelicæ annos, morbô fatalî correptus, id imprimis curabat, ut ſe Angelorum Reginæ & Cuſtodi ſuo Tutelari breuibûs aſpirationibûs commendaret; idem indies fecerat jam multîs ante annîs. Et valuit pietas. Ab Angelo enim ſuo viſitatus, ſuaviſſimè exſpiravit. *Lechn.* Imitare B. Virginem, & Angelum tuum pro felici hora mortis cole, & invoca indies: Non te deſerent morientem, ſi vivens tu eos non deſeras.

Annuæ Bœticæ referunt de juvene libidini dedito. Hic etiam tempore Miſſionis contumax, concionem à Miſſionario habitam de periculo eorum qui occaſiones lubricas repetunt, risu excepit. Infelicem riſum pœna Numinis manifeſtæ excepit. Repentinô correptus morbô nonniſi veneris amicæ, qua cum peccaverat, nomen ingeminans, non ſine ſummo præſentium ſtupore, vivendi amandique finem fecit, formidandâ laſcivè amantium æternitate, abſorptus. Ann. S. I. *Qualis vita, finis ita. Mors vitæ reſpondet. Quam vivens in ore & mente habuerat ſcelerum ſociam, & moriens habere auditus eſt; dum è contra Sancti ſæpè invocantes Sanctiſſima IESU & MARIÆ Nomina, hæc eadem in morte pronuntiantes, audiuntur. Malè vivere, & benè mori, ſine prodigio non junguntur. Diſce etiam, eſſe in cœlo Deum, qui contumaciam peccatoris puniat. Non impunè contemnuntur*

mnuntur benè sentientium monita, præcipuè Superiorum, Concionatorum & Confessariorum. Qui vos spernit, ait Christus, me spernit.

25. Landspergensis Sodalis quoties in se vel in Deum aut cœlites probrum aliquod jaci audiebat, ad resarciendam aliquomodo Dei, cœlitumque injuriam, toties repetebat voces illas: Gloria Patri & Filio, & Spiritui Sancto. *Nadasi.* Animus Deum amans ægrè etiam ab aliis Deum offendi patitur: læsum Dei honorem reparare laborat. Tu id saltem age: labora, ut repares injurias à te Deo illatas: Vesperi dum in examine recordaris defectuum admissorum, præter dolorem, aliquam tibi injunge pœnitentiam. Res utilissima est & facilis. Præterea assuesce dolori sæpiùs eliciendo de peccatis præteritis, item actibus, fidei spei, & charitatis.

26. B. Stanislaus cæteris bonô exemplô prælucere studuit, hinc non alio, quàm Angeli nomine compellabatur. *Ex vita* Luceat lux vestra coram hominibus, ait Christus. Cave quenquam verbô factôve unquam scandalizes. Væ! væ homini illi, per quem scandalum venit! O quam ex inferis vindictam petent animæ, tuô verbô vel exemplô seductæ! Memini legere de Pictore, qui imaginem turpem pinxerat, cujus occasione perierant animæ multæ. Hæ coram tribunali divino præsentes, vindictam unanimi voce

exposcebant

exposcebant contra eum, qui damnationi dedisset occasionem. Res terrifica planè est, animam Christi sangvine redemptam, seducere.

27. Parisiîs studiosus audiens, quosdam è condiscipulis suis relictô sæculô Religionem petiisse, divino repente actus spiritu, oblitus librorum, amicorum, bonorum omnium; solus velut amens ad cœnobium properat. Quærenti causam properationis, ait; ego vado ad Deum. Superiorem loci dein convenit, pedibus ejus advolutus ajebat: Ego sum Dei: ego sum Dei. Susceptus ergo in numerum aliorum, vitam vixit sanctissimam. E numero condiscipulorum erat Guerricus, qui in Ecclesia audiebat legi illa verba: Factum est omne tempus; quod vixit Adam, nongenti triginta anni, & mortuus est, &c. Tum sic secum: mortui sunt hi: moriar ergo & ego: an bene? cur non me ad mortem paro? Nec plura addidit, mundo vale dixit, religionem ingressus, Deo sanctissimè servivit. *Specul.* Mirabilis Deus in vocatione Sanctorum suorum: mirabilis conversionis occasio! quantillæ rei Deus beatitudinem hominis annexuit! an non meritò curam minimorum quorumcunque haberi necesse est, ne fortè ex minimo tali dependens beatitudo, amittatur. Adverte etiam, quàm fortis sit heroica una resolutio! talis, Sanctam

effecit

effecit Magdalenam antea peccatricem; Sanctum Ignatium, Sanctum Antonium & innumeros alios: faciet & te, si velis. Demum observa in Guerrico, efficaciam memoriæ mortis. Memento mori, & vilescet mundi vanitas: & major erit pro salute solicitudo.

28 Monostorini in Transsylvania Sodalis quidam, ut eâ quam perceptâ Sanctissimâ Eucharistiâ sentiebat dulcedine frueretur diutiùs, diebûs Communionis ab omni prandio abstinebat. *Ann. S. J.* Difficile hoc nimium tibi erit; at hoc saltem agere par esset, ut die illo abstineres otiô, lusu, circumvagatione, peccatîs aliîs tibi familiarioribûs. Gratias tibi uberiores salvator tuus, conferret, hanc si vivendi rationem tenueris.

29. Miles quidam ætate adolescens, Domino cuidam famulatus, gravissimîs in castitate tentationibûs agitabatur. Tentationes Monacho cuidam aperiens, jussus est per annum indies, centenas salutationes angelicas recitare. Die anni postremo, convivio intererat: recordatus pensi necdum persoluti, vicinam petit Ecclesiam, consuetas preces persolvit. Egresso, obviat Virgo pulchritudinis ineffabilis, quærit ex eo, num sponsam se habere cuperet? Annuit ille: Et hæc; bene est, ait, hoc die (diem designabat) nuptias in cœlo celebrabimus. Hic verò intelligens

telligens miles, quæ Virgo hæc fuisset, ad mortem lætus se disponit, quam & die designato obiit. *Specul. Ex.* Sunt tentationum remedia, modò amplecti ea velis. Excusationem non habes in peccatis tuis. Mariam invoca.

30. Anno 1608. Martinus Gutric adolescens hæreticus, nobili Catholico famulabatur; Febrî correptus, petit vocari Fornerum Concionatorem Bambergensem. Obstant hæretici, exhæredationem minantur. Is, terrenam, ait, hæreditatem nihil duco, cœlestem quæro. Adest Fornerus, causam petitionis rogat. Respondet; adfuit hac nocte, Deipara, inquiens: quia me sæpe coluisti & salutasti, venio & moneo te: instat mors; fidem Catholicam amplectere: hoc die morieris; veniam ad te, & ad cœlum te ducā. Cultus verò ille in eo erat: audierat in concione Forneri, quàm grata Beatæ Virgini sit Salutatio Angelica, fidem itaque amplexus, sacramentîs munitus, die designato suavissimê exspiravit. *Forner* Adest Virgo pia, morientibus; providet eis de remediis necessariis. Cole eam, non deerit. Deerunt amici, deerunt socii. Non erit, unde auxilium sperare possis. Huc igitur curam converte, ut clementissimæ Dominæ patrocinium tibi promereaMaris. Singulari semper affectu recita illud; ora pro nobis peccatoribus nunc, & in hora mortis.

 Ado-

Adolescens vocanti Deo obtemperans, Religiosum statum intraverat. Facti pœnitens, sæculum repetit, ut liberiùs viveret. Pauci elabuntur menses: morbô fatalî corripitur ad extrema deducitur. Confessio ei, & ad mortem præparatio ingeritur, sed frustra. Frustra, inquiebat, frustra hæc mihi ingeritis, actum est de salute mea æterna: adfuit mihi in visione Dominus, terrifico me vultu intuens, ajebat: vocavi & renuisti: ridebo in interitu tuo: vade ad portas inferi. Hæc dicens, & miserrimè ejulans, suam nimis serò deplorans inconstantiam, obiit. Spec. Ex. *Non pauca suppetunt in rem hanc exempla, ad omnem memoriam tragica. Scilicet, non irridetur Deus. Ridere cum Deo & ludere, hominum solet impietas modîs variîs. Vocat Deus ad statum sanctiorem: vocat ad vitæ emendationem: jam inferos minatur: jam promittit cœlum. Renuunt obedire voci divinæ inconsulti homines: cogitationes tales abjiciunt: pergunt in sceleribus. Alii, statum sanctiorem amplectuntur: vitæ emendationem auspicantur. Vocat Deus ad constantiam. At illi tædio quodam, aut molestiâ deterriti, horrent pergere; à vita bona deflectunt; terga Deo vocanti vertunt. Tolerat ista patiens Deus, sed ad tempus contemni se patitur & deseri; sed ad tempus: ubi verò mortis tempus imminet, ubi ad Deum converti cogitant impii, tum enim & Deus tergum obvertit, nec precibus nec ululatibus cedens; ridens etiam in interitu.*

Quod ne nobis accideret inexpectatum, non una vice hæc in scripturis inculcat, vocavi: renuistis; in interitu vestro ridebo. Tu obedi Deo, esto constans, ne divinæ veritatem sententiæ experiaris. Lovaniensis quidã Sodalis moriens quæsitus an nihil superesset, quô angeretur? reposuit: duplici re gravissimè angor. 1. Quia à sodalitate abfui sæpiùs. 2. Quia post exercitia sacra, redii ad priora peccata. Ecce inconstantiâ terrebatur. An & tu eam angoris causam habebis? Erit erit, mihi crede, acerbum aliquid, cogitare proposita toties facta, toties violata. Vide ut ea jam eligas, quæ tibi in extremis esse possint solatio.

Anni Sancti Mensis Ultimus December.

1. B. Stanislaus omnem mensem, ultimum sibi fore credidit, hinc se ad vitam fervore summo & pietate agendam, animari sentiens. *Ex vita.* Imitare Est hic, quem inchoas, mensis ultimus anni, fortè & vitæ tuæ. Talis si esset, quid optares morti proximus egisse? illud nunc age; & mense elapso gaudebis. Idem de anno loquere.

 Erit

Erit annus aliquis tibi ultimus. Quis ille? ignoras. Hoc ſcis, poteſt eſſe quilibet; ergo ſic vive, tanquam quilibet, eſſet ultimus. Si ſcires annum hunc, hunc menſem, fore tibi ultimum, an pergeres in conſuetudine hac? in illo peccato? conſortio? Timeres certè in his mori. Time & ſic vivere, quia mori in his, potes.

2. Taurinenſis Sodalis, ſuadente noſtro, confeſſione generali emundat conſcientiam, & mirum in literis profectum experitur, antea ſtupidus totus & infelix. Bituricenſis quidam, in philoſophico ſtudio pariter infelix, poſt opem B. Virginis ſolicitè imploratam, omnia experitur facilia. *Sod. Parth.* Scilicet, non ſolo labore proficitur. Non intrat ſapientia in cor peccatîs deturpatum: cor mundum quærit. Neque hoc ſatis: Omnia nos Deus habere voluit per Mariam: hujus implorandum eſt auxilium, Sedes ſapientiæ eſt; non denegabit profectum facilem clientibus. Tu quid ages?

3. Ioannes Baptiſta à Prato moriens, vicinos ſibi Sodales ad cultum B. Virginis enixè hortatus, paulò poſt, nomen ſuum literîs aureîs libro vitæ inſertum videre, meritus fuit. *Nadaſi* O quale tuum eſſet ſolatium, ſi nomen tuum pariter libro vitæ inſertum ſcires. Tantum tibi non conceditur: ſpes ſola reliqua eſt, & magna quidem. Cole

indies

indies Virginem Sanctam; dic cum S. Casimiro: commendare me dignare, Christo tuo filio, &c. Pro me pete, ut quiete sempiternâ perfruar, &c Certè & ex tali oratiunculâ brevi, non rarò beatitudo pendet. Servierat militi Dæmon per annos non paucos, ad inferos eum rapturus, si vel uno die Salutationem Angelicam omitteret. Fortè & tu pridem periisses, nisi quotidie Mariam coluisses.

4. Neapòli Sodalitatis Præfectus videns Sodalem ad suspectam domum properare, ad eum mox accedit, primùm precibûs, dein & flagellîs impiam ei mentem extorquere conatur: cruentum ei flagellum ostendens inquiebat: Disce miser vel fuso sangvine servandam, quam Christus redemit animam: hoc ego me flagello castigavi, ut imminentem capiti tuo minam averterem. *Lechn.* O quanta proximi, quanta Dei charitas? impedire Dei offensas, vindictam divinam precibûs & flagellîs avertere, res Apostolici Zeli est. An tu idem pro salute aliena? an non datur occasio peccatum non unum impediendi? Ubi Zelus tuus? si pro alio similia facere formidas, dignus saltem es tu, digna anima tua, cujus amore hæc non refugias. Quid statuis? impendet tibi vindicta divina: Propera, ora, averte, ne pereas.

5. Adolescens quidam consuetudini impu-

ræ implicitus, Patrem Realinum S. I. accesserat, remedium miseriæ suæ flagitans. Pater suasit, ut quoties ab immundo spiritu tentaretur, toties ter signô Crucis muniret pectus dicens, Per Sanctam Virginitatem & Immaculatam Conceptionem tuam, Purissima Virgo munda cor & carnem meam, in nomine Patris &c. Adhibuit adolescens remedium hoc, & jurejurando affirmavit, nunquam ex eo tempore, se in peccata vetera esse relapsum. *Ex vita.* Imitare, si seria tibi emendationis voluntas est, media non desunt. Media si detrectas, frustra voluntatem vitæ melioris, frustra desiderium cœli obtendis. Salvari non vult, qui media ad salutem necessaria non vult.

6. B. Stanislaus audiens S. Barbaram singularem pro felici morte impetranda patronam esse, ab eo die indies eam devotissimè venerabatur; cujus devotionis fructum in morbo periculoso retulit specialem, ne scilicet sine sanctissima Eucharistia decederet. *Ex vita.* Imitare. Hora mortis, res est momenti maximi; pro hac Patronos tibi in cœlis concilia; quia in terris nullos reperies. Uti Deus sanctos alios aliis veluti necessitatibus præfixit Patronos, sic morientibus post B. Virginem & S. Josephum in Patronam esse voluit S. Barbaram. Cole eam.

Lusor quidam in Castro Drepanensi, rem su-

am

am ludendo perdiderat: ex damno dolor, ex dolore desperatio, ex hac impietas nata est detestanda. Accedens imagines B. Virginis, & S. Alberti, horrendas effudit blasphemias; quin & arreptô gladiô utramque imaginem furibundus persecuit; unde dum cruorem profluere cerneret impius, horrore perculsus, fugam parat, sed in ipso templi aditu, fulmine cœlitus lapso percussus, in pulverem totus redigitur Simile quid Placentiæ accidit. Adolescens quidam jacturam in lusu non levem passus, terribiles in Virginem Matrem blasphemias evomere ausus erat: sed adfuit eo momento vindicta Judicis: repentinâ enim morte prostratus, eo ipso loco descendit ad tartara. Bonif. *Huc nimirum insana illa ludendi cupido deducit. Faciles ex lusu lites, execrationes, furta, fraudes, blasphemiæ, & quæ non iniquitates oriuntur? Cave his unquam assuescas: res tantò periculosior est, quantò minoris plerumque æstimatur à studiosis. Qui in tabernis hodie ludi fiunt, ajebat Chrysostomus, illi me maximè cruciant, & impietate & intemperantia pleni sunt. Aliud judicat sæculum nostrum, perversîs imbutum principiîs. Tu quod securius est, elige.*

7. B. Stanislaus pridie S. Communionis, quam quovis octiduo peragebat, jejunare solitus fuit, ut tantò dignior, ad tantum accederet Mysterium. Beatus Aloysius tres dies gratiarum actioni dabat pro S. Commu-

nione. *Ex vita.* Imitare. Flevit Christus Hierosolymam intuens, eò quòd non cognoverit tempus visitationis suæ, sanguineîs meretur lacrymîs deplorari Studiosorum plurimorum negligentia, non cognoscentium tempus nobile, quô à Christo Eucharistico visitantur: O Cœlites! Quæ præparatio? Quæ gratiarum actio? Ubi fides nostra? tu si majores à Christo experiri vis gratias; hoc age, magis te solicitè para; plus temporis gratiarum actioni impende. Hodie & cras id ostendes.

8. Berchmannus, Immaculatæ Conceptioni B. Virginis speciali affectu devotus exstitit: hanc propugnare, votô statuit: hanc coluit indies, hanc æmulari in eo saltem studuit, ut vitam ageret castā & immaculatam. Hinc sæpe sic se allocutus est: Vis esse Filius Mariæ? Castitati stude. Neque contentus erat devotione quotidianâ, majorem semper in ea fervorem quærebat. Nunquam quiescam, ajebat, donec obtinuero amorem tenerum erga dulcissimam Matrem Mariam. Affectū hunc sabbathinô jejuniô, aliisq; pietatis exercitiîs nutriebat. *Ex vita.* Habes quæ imiteris. Renova hodie devotionem erga Intaminatam Virginem: hanc quotidianô Officiô & Rosariô cole. Sed non satis, Immaculata est Virgo, quam honoras: amat immaculatos. Amat eos, qui turpes peccati maculas fugiunt.

fugiunt. In hoc exhibe amorem tuum, fuge peccatum, potissimùm Castitati contrarium.

9. Adolescens Miles lasciviæ deditus, ad torneamentum aliquod in Normannia properans, in castello quodam obviam habuit puellam pulchritudine insignem. Hanc sequitur nefarius; ejus parentibus pretium offert ingens, si uti eâ liceret pro libitu. Consensêre parentes impiissimi: Puella plorans & ejulans, sic militem à cæteris separatum compellat: Maria vocor, lachrymor, quia ad peccatum me cogi video, & tale quidem, quod Patronæ meæ maximè displicet; cui castitatem vovi: Insuper & dies Sabbathi est, huic Virgini Sanctissimæ dicata dies. Oro te, amore Matris Divinæ; parce castitati meæ; amore Mariæ, ne lædas me. Vocibûs hîs mutata impii juvenis mens, promittit amore Mariæ, se peccatum hoc omissurum: Pecuniam etiam addit, ut puella illa in cœnobium recipi posset. Profectus inde miles, in torneamento occisus est. Facta revelatio puellæ huic, eum ope contritionis ante mortem elicitæ, salvatum esse; hanc verò contritionem, ei per Mariam impetratam ideo, quia hujus amore peccatô unô abstinuerat. *Segneri.* Disce, quanti æstimet Virgo, vel unius peccati omissionem. In hoc imitare: Fuge peccatum, præcipuè die Sabbathi, præcipuè castitati inimicum.

10. S. Fulgentius decretam vocationis implendæ occasionem expectans, majore fervore in pietatis exercitium incubuit: abstinebat à usu etiam licito: plus temporis orationi, lectioni piæ, & meditationi impendebat: sæpiùs sanctissima Mysteria frequentabat. *Ex vita.* Huc oculos & animum verte, Sodalis. Decrevisti forsan, relictô sæculô sanctius vitæ genus amplecti. Quæ nunc vita tua? An diabolicô illô imbutus es principiô; plura jam tibi licere, indulgendum esse genio, vivendum esse liberiùs. Cur? Quia postea negatur occasio deliciîs talibûs animum pascendi; quia postea agetur pœnitentia. Infelicem te, si sic cogitas. Time justum in cœlo Vindicem; Non unus fuit, qui in pænam vitæ talis, vocationem perdidit & vitam æternam. Vocatio donum Dei summum est: Negabitur tibi, si impudenter adeò cum benefactore Deo agis. Fulgentium imitare.

11. Simon, Abelis Judæi Pragensis, Filius, duodecim annorum Adolescens, ex frequenti accessione domûs Christianæ, & consideratione Imaginum sacrarum, ad fidem veram animum cœpit adjicere, sæpe ingemiscens: O si possem Christianus fieri! diu subinde in domo Catholica moratus, domo exclusus, in fimeto etiam pernoctare coactus est. Auctô fidei veræ desideriô, ad recens baptizatū

Georgium

no terreno? O utinam Deo meo serviissem fideliùs? Sodalis mi, Stanislaum imitare; ea jam age, quæ tibi in hora mortis esse possunt solatio. Servi Deo & B. Virgini.

14. Goanus quidam Sodalis ab altero alapâ per injuriam percussus; Condono, ajebat, quia Sodalis B. Virginis sum. *Sod. Parth.* Grata Mariæ vox; res acceptissima amore B. Virginis non peccare: amore ejus se vincere. An tibi hoc difficile nimiùm? cur non hodie dicis: fugiam consuetudinem hanc, quia Sodalis B. Virginis sum: Fugiam consortium hoc, hoc otium, hanc in Divinis negligentiam, amore Virginis. Novit hæc tibi succurrere Virgo, si eam sic colis.

15. S. Nicolaus tœdas, quibûs à dæmone versabatur, tentationes, laboribûs, jejuniîs, vigiliîs & orationibûs superabat. *Ex vita* Imitare: hæc sunt arma, quibûs hostem pessimum oppugnare continuò debes, nisi vinci velis. Toletus putat adolescentum plurimos devolvi ad inferos, solùm ob peccata adversùs castitatem admissa; uti enim facilè in hæc labitur juventus improvida, sic resurgit ratò, surrectione constanti, quia vim sibi inferre refugit, tentationibus non viriliter resistit, flagella, jejunia, & similia horret. Cœlum horres, nisi hæc amplecteris. Meliùs est affligere carnem petulantem brevi & voluntariô suppliciô, quàm molliter eam tra-

ctando

ctando, suppliciis nutrire sempiternis.

16. B. Aloysius ante studia renovat intentionem bonam; coram B. Virginis effigie studia peragit; ante scholæ initium, Ejusdem opem in templo invocat. *Ex vita.* Imitare, feliciorem profectum spondeo.

17. Michaël Ayatumus pridie mortis rogat Patrem, ut liceret sibi die altero publicè flagellis in se desævire, rationem dabat hanc: Extremo vitæ tempore magna pro salute operari par est: & præclarè facta morti sunt præmittenda. *Ann. S. J.* Sodalis; extremum imminet anni tempus, fortè & vitæ ultimũ: par est, ut magna opereris pro salute tua; ut defleas peccata per hunc annum admissa; suscipias mortificationes varias ad Deum placandum, ad satisfaciendum pro peccatis tuis, ad gratias pro tot beneficiis agendas. Statue hodie, quomodo dies hujus mensis reliquos peragere velis.

18. B. Aloysius moriturus, Rosarium & Crucifixum sui amoris tesseras suavissimè amplectitur; mirificô exultans gaudiô ob mortis viciniam. Imus lætantes, ajebat, ad cœlum. Idem prorsus de B. Stanislao legitur, qui & B. Virginem coram intueri meritus est, exclamans: Paratum cor meum Deus. *Ex vitis.* Sic moriuntur Sancti. Morieris & tu? quomodo? quando? ubi? utinam bene! an parî affluês solatiô? an pari exclamabis

fiducia:

fiduciâ? Imus ad cœlum: paratum cor meum. Potes, si seriò velis. Dispone domui tuæ: munda conscientiam tuam per Confessionē seriam: servi Deo fervore summo, quô potes. Quid enim moribundo tibi proderunt omnia, si hoc negligis? ex sola vita bona, hauries solatium.

In regno Toletano adolescens vixerat circa annum 1642. tenerrimo affectu B. Virgini deditus. Sed uti fieri amat, à fervore hoc desciscens variis se dedit sceleribus: Habitabat ibidem Virgo Sancta; hæc sub oratione vidit Judicem Christum præsente Maria Virgine & Angelorum ingenti curiâ. Agebatur coram Judice de sceleribus urbis illius, & potissimùm impii nostri, quem justus Judex æternis adjudicavit suppliciis, intercessit Maria, & 30. dies impetravit, quibûs adhuc pœnitentiam agere posset, jubens ut Virgo hæc videns, narraret omnia Patri cuidam è Societate, qui impium ad saniora impelleret. Repetitâ visione fecit id Pater, & primùm ad Confessionem permovit; sed relapsus identidem in scelera impius, Patrem domo suâ semper exclusit deinceps; ejecit iterum iterumque redeuntem. Dies trigesima aderat; neque ad peccatorum detestationem compelli se passus, sed inter blasphemias horrendas & ejulationes animam evomuit. Vidit Virgo supradicta, judicium impii & audiit, specialem rationem petitam esse, quòd triginta dies pœnitentiæ agendæ

concessos

concessos, malè impendisset; ideoq; æternis adjudicatum fuisse suppliciis. Barzias. *In alieno exitio, tuum cave. Forsan jam hæreres inter tartara, nisi Mater gratiæ obsequia olim à te exhibita respiciens, tempus tibi pœnitentiæ impetrasset. Quantum illud? novit Deus. Fortè anni pauculi, menses aut dies sunt. Hos si malè impendis, væ animæ tuæ O quàm gravis exigetur ratio, quàm tetra imminent tormenta! Adhuc paululum modicumque, & consummabitur indignatio mea & furor meus, dicit Dominus. Time vitam hanc impiam prorogare. Age pœnitentiam.*

19 S. Columbanus postea Abbas, dum sanctius vitæ genus amplecti properabat, matrem expertus est sibi reluctantem. Hæc ad ipsum domûs limen procubuit, filii abitum prohibitura. Sed filius Christum præ matre diligens, sublatîs in cœlum oculîs, generosô pede Matrem ululantem calcans, ad destinatum sibi & saluti suæ statum festinabat, rogans Matrem, ne ægrè id ferret: magnum enim in cœlo parari præmium. *Spec. Juv.* Sodalis, qui diligit matrem aut patrem plus quàm me, ait Christus, non est me dignus. Vides majore Deo serviendum esse fervore, necessariam tibi intelligis emendationem: erunt, qui se tibi opponant erunt, qui pia desideria impedire conentur: erunt socii, utinam non & parentes! Tu generosè calca:

perrumpē obſtacula omnia, contere reſpe-ctum vanum: repudia amicitias ſceleratas: ad Deum confuge, ſalutem animæ tuæ in tuto colloca. Animô opus eſt.

20 B Archippus puer Hieropolitanus mirabilem prorſus & rigidiſſimam vitam agebat; ad quam ſe vocibûs hîs ſæpe animabat. Quid prodeſt mihi hoc corpus paulò poſt abiturum in cineres? liceat mihi uni animæ adhærere: ſic beatuts ero. *Spec. Juv.* O ſi ſanctô hoc principiô imbuta eſſet cogitatio tua? effare, quid prodeſt labor ille omnis pro corpore? quid gaudia etiam cum Dei offenſione corpori procurata? quid prodeſt libertas illa tua? anima ſi perit, quid proſunt cætera? hæc cogitatio Xaverium Eccleſiæ dedit, & Indiis Apoſtolum: hæc eremos incolîs, monaſteria Religioſis, cœlum Beatîs implevit. Hujus oblivio implevit Tartara. Miſerere animæ tuæ. Tot per annum hunc labores pro corpore ſuſcepiſti; tantum ei ſolicitudinis impendiſti? Miſerere jam ſaltem animæ tuæ. Chryſologum audi: *Dedimus corpori menſes & annos, demus animæ dies.* Scis quid velim? optarem, ut dies hujus menſis reliquos, totos pro anima dares, vacando plus ſolitò Orationi, meditationi, & faciendæ Confeſſioni Generali: Miſerere animæ!

21. Neapolitanus Sodalis ſcelus aliquod

confiteri erubuit: Adest ei peregrinus quidam dicens: Jam diu angeris; cur occultum facinus retices? Neganti verò Sodali, reponit idem: Noli culpam augere apud scientē: Hæc (B. Virginis effigiem è collo suspensam ostendit) me ad te misit, ut te monerem: quod si non facis, brevi experiêre supplicium. Motus hac comminatione Juvenis, Confessione generali animum expiat. *Leckn.* Sodalis, Mater tua Virgo, te monet: expia conscientiam tuam Confessione sincerâ & generali emenda mores tuos: dispone te ad mortem: imminet reluctanti supplicium: desiderat B. Virgo animam tuam & salutem, desiderat emendationem; deseret te, nisi obedias.

22. Bononiensis quidam Juvenis vanitatem & luxum mirè sectatus, ex meditatione sententiæ per Religiosum aliquem casu propositæ: subter te sternetur tinea, & operimentum tuum, erunt vermes: conversus, mundum deseruit, Religionem petiit, ut Deum sibi pro hora mortis redderet propitium. *Spec Ex.* Memento mori. Certa est tibi mors, cura, ut felix sit. Abjice procul omnia, quæ illam tibi reddere possunt acerbam. Fuge peccatum: hoc enim solum acerbam tibi mortem addere potest & infelicem.

23. Jacobus quidam dictus, adolescens vitæ solutioris, B. Virginem nocte aliquâ si-
bi

bi præſentem vidit, & hîs ſe ab eâ vocibûs compellari audiît: Jacobe, redde rationem vitæ tuæ. Expavit, inducias flagitavit, vitam priorem ritè expiavit, totus à ſe mutatus. *Nadaſi.* Fortè & tuis auribus vox hæc brevi inſonabit: Redde rationem. Studioſe quid facies, cùm ſurrexerit ad judicandum Dominus, & cùm quæſierit, quid reſpondebis? nemo credit, quàm terribilem rationem exigat juſtus Deus. Provide tibi, vitam emenda.

24 Adoleſcens improbꝰ, curioſitate ductus intrabat templum auditurus Concionem P. Barradii S. I. In ipso limine unam audit à Patre ingeminari vocem hanc: Infernus! infernus! & ſubitò perculſus, vitam priorem ſeriò deplorare cœpit & emendate. *Ex vita.* Si ſcires, quid ſub voce tam terrificâ lateat, tot monitîs opus non eſſet, ut emendationem extorquerem. Recordare ſæpiùs vocis illius, & eam tibi à S. Cuſtode inclamari crede. Res ſeria eſt: Infernus: Anima: Damnatio: Beatitudo.

Adoleſcens, unicus parentis nimiùm indulgentis filius, vitâ primùm & moribûs integerrimus, libertati deinde fræna laxare cœpit: pudore excuſſo publicè laſcivus audire non erubuit. Monetur à Superioribus, ſed fruſtra. Concionator urbis Patrem ſeverè commonuit, arceret filium à probroſa domûs acceſſu, aliàs &

Patri,

Patri, & filio, Divinam impendere vindictā. Sed Patris indulgentia, filii impietatem roborans, monitiones elusit. Paulò post adolescens infelix in ipso scelere deprehensus à marito adulteræ, multîs ictibûs confossus, repertus est. Segneri. *Habet hoc suum lasciva voluptas præmium, infelicem in scelere mortem. O voluptas misera & momentanea! quot Adolescentum millia dejecisti ad supplicia! Studiose, finem respice, & voluptatem illicò omnem nauseabis. Noli spuriam in quocunque sed potissimum impuritatis peccato quærere voluptatem. Dejicere te ad stygem, justus poterit Deus, eodem momento, quô æternitatis oblitus, peccare audes. Non est, non est voluptas digna, quam æternô emas suppliciô. Momentum recreat, æternum cruciat.*

25 Antonius Caraffa adhuc adolescens per submissam à nebulonibus impuris fœminam, ad amplexus, & illicita alia, promissis amplissimîs incitabatur. Ocyùs ille lecto exilire, fugam tentare; cumque fores occlusas reperisset, horrendum inclamare; demum novus Thomas caminum accedit, batillô usus ingenti cineris nube & ardentium adhuc prunarum grandine petulantis mulieris os, crines, manus implet, & semiustulatam fugat. Mirum castitatis, & scientiæ donum, à Deo in præmium tulit. *Ex vitâ.* Toties inculcatam denuò sub anni finem commendo pugnam generosam adversùs peccatum o-

mne

mne, præcipuè castitati adversum. Fuge: pugna viriliter.

26. Dignam longiore narratione historiam refert Bonifacius S. I. Juvenis in furorem ex infortunio actus, dæmonem invocaverat. Aderat ille, diu eum comitatus, sæpe vitæ ejus insidias apertas obtulit: semel in desertam solitudinem abduxit Juvenem. Hic quò se converteret inscius, Virginem Mariam coram videt; Hæc juvenem manu prehensum reducit ad Sacellum, ubi præteriens juvenis orare ad B. Virginem semper solebat. Hoc in loco eum acerbè increpatum, jubet, Confessionem peragat, pœnitentiam suscipiat; & sic continuò se ei adfuturam spondet. Fecit omnia Juvenis, rarissimos à B. Virgine favores postea expertus. *Bonif.* Peccatores, ne despera: proteget te Virgo, si emendas vitam; hoc nisi agis, frustra Eam invocas.

27. Adolescens Lusitanus annorum duodecim, jam jam moriturus sic Matrem affatus est: Deum lauda, ô Mater! cujus beneficiô, acceptam in Baptismo innocentiam ad hoc usque tempus servavi; lætus inde obiit. *Ann. S. J.* Innocens es, an peccator? uter, utersis, si gaudere in morte velis, peccatum fuge. Ut fugias, sanctissima mysteria frequenter suscipe; hîs enim adolescens ille in bono roboratum se sensit.

28. S.

28. S. Mennas Martyr audiens à Maximiano, se fore amicum Regis, si fidem desereret, respondit: omnis amicitia humana repugnans Deo, indigna est Christiano *Spec. Juv.* Indignior Sodali est amicitia cum sociis pravis, quia Deo repugnat. Fuge socios pravos, si infernum fugere desideras.

29. Hugo, Hertruriæ Princeps, pueritiam castitate & veneratione Virginis illustrem egerat; juventutem libidine, aliisque sceleribus maculavit; B. Virginem tamen invocabat indies. Venatum exierat: siti pressus, obviam habet mulierem speciosam, (Maria erat) fructus offert delicatissimos, sed in scutellâ sordibûs plenâ: quos cum nausearet Hugo, ajebat illa: Talis est pietas tua in me; bona, si sordes peccatorum abessent. Disparuit, nec tamen resipuit Hugo, donec vice aliâ, oblata ei est inferni species, & à tartareis ministris expectari audiret inter inferos Hugonem; tum enim totus in se rediens clamabat: Hugo posthac non erit Hugo. Et fuit revera alius, pœnitens scilicet & quidem constanter. *Segneri.* Secutus es errantem, sequere pœnitentem. Ut preces tuæ placeant Virgini, peccata fuge. Fac hoc propositum, & imple: Posthàc alius ero. Fortè te jam expectant Tartara, festinanda est emendatio.

30. Rolandus adolescens, dum diem inter

delicias

delicias totum exegerat, conversus est in Sanctum unâ hac cogitatione noctu obortâ; Ubi nunc sunt gaudia mea? quid reliquum ex iis est? *Platus*. Sodalis: annô unô propior es æternitati, adeoque & morti. Effare, ubi nunc sunt illa tua gaudia, etiam cum peccato quæsita? ubi est dulcedo ex otio, somno, lusibus, hausta? quem fructum habes? moriendum si tibi jam esset, quid sentires? quid statueres? hoc jam statue: alius esto. Præterit citò, quod delectat, permanet, quod cruciat.

31. Juvenis sanctè educatus, ad aulam missus, in ea corruptus, ab ea proscriptus, latronem egit. Captus, in carcere instigante dæmone, Deum & Sanctos abjurat: Mariam ejurare jussus, renuit, potiùs moriturum se asserens. Fremente dæmone & evanescente, scelus agnovit, cujus ut veniam impetraret, Beatam Virginem accessit, quam indies totâ vitâ salutare consveverat. Nocte totâ inter preces actâ, ad locum supplicii educitur, Conspicit Sacellum & in eo B. Virginis effigiem, huic ut liceret valedicere impetrat. Hîs ergo Eam vocibûs inclamat: O Mater! ô Virgo! ne desere morientem. Et ecce Mariana Effigies extendit brachia, stringit juvenem, neque dimittit, donec mortis suppliciô liberatus, declararetur. *Pexent.* O Maria! ne desere mo-

 rientem,

rientem, hoc ora indies, hoc repete. Aut cum S. Richardo, centies diebûs singulîs orante: Maria Mater gratiæ, dulcis Parens clementiæ: tu me ab hoste protege, & mortis horâ suscipe. Non deseret, si prior non deseras peccando.

Ultimum Anni hujus tragicum exemplum brevissimum pono, sed tale, cujus veritas nemini nisi impio dubia esse possit; tale quod obstinatissimum terrere possit: Onan filius Judæ, peccatum fœdissimum, Iuventuti heu nimis familiare! Castitati contrarium, admiserat. Et eo adhuc momento percussus à Domino morte subitaneâ periit; eo quod, ut ait Scriptura: rem detestabilem faceret. Ex. Gen. *Quis animus tuus Studiose? non horres? non expavescis? ullane adhuc peccandi libido esse potest reliqua? O miserum te! Imprime tibi exemplum hoc tragicum, cogita quid sit, eadem horâ peccare & mori, quærere delicias & perire. Conclude* 1. *Res horrenda est peccatum vel unicum, quod Deus æternô punit suppliciô.* 2. *Mori potes, eô momentô quô peccas, & æternùm damnari.* 3. *Mortuus si fuisses in peccato illo mortali periisses æternùm, & jam hæreres inter inferos. Quis prohibuit? clemens Deus: & à te offensus Deus. An & deinceps prohibebit? ignoro, incertum est. Ergo Chrysostomum audi: Fili peccâsti! in contrarium convertere. Deo*

gratias

gratias age, quòd non in mediis te rapuerit peccatis. Primum est: Convertere: noli porrò peccàre: Time: fortè primum, quod perpetras scelus, erit & ultimum. Time! si in eo morieris, periisti æternùm. Secundum est: Deo gratias age, quod mori te non permiserit, uti alios innumeros permisit. Cave tantam offendas Bonitatem. Novo eum fervore & tantò majore ama, & honora.





CONCLUSIO.

Habes, Studiose Lector, quæ per otium colligere pro salute tua licuit. Utere ad salutem. Inspice & fac secundùm exemplar, quod tibi monstratum est. Inspice pios, & imitare: Inspice impios, & abominare: Considera eorum exitium, & time. Accipe documentorum epitomen. Time & ama Deum. Cole B. Virginem. Devotè suscipe SS. Mysteria: Custodi Castitatem: Fuge impia consortia: Memorare novissima. Memento Creatoris tui in diebus Juventutis tuæ, & cave ne aliquando peccato consentias; Tob. 4.

Hæc fac & vives.



FINIS.

